PRINCIPIS Διαλύπωσις.

BAPTISTÆ SACCI PLATINÆ, VIRI, OMNI VIRTVTVM ET DOCTRINARVM GENERE clariſſimi, TRACTATVS vtiliſſimus,

Continens,

QVAE PRINCIPI VIRO, QVI PERFECtus eſſe velit, cum pacis tum belli tempore, facienda ſint, quæq; fugienda.

VBI DE PII PRINCIPIS VIRTVTIBVS, DIſciplinaque aulica & militari, cum cohęrentibus hiſce, perpulchrè diſſeritur; vitiorumque dehortatio obiter interſpergitur.

OPVSCVLVM, EX PROBATISSIMIS AVtoribus concinnatum, Imperatorum, Regum & ſapientiſſimorum Heroum exemplis illuſtratum, & iam primum editum.

Cui, ob materiæ affinitatem, CARDINALIS P. ALDOBRANDINI Apophthegmata, DE PERFECTO PRINCIPE, Artem Imperandi complectentia, adiecimus.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

FRANCOFVRTI,
Excudebatur apud NICOLAVM HOFMANNVM, impenſis Egenolphi Emmelii, 1608.

ILLVSTRISSIMO CELSISSIMOQVE PRINCIPI ET DOMINO, Dn. Ludouico, Haſſiæ Landgrauio; Cattimelibocenſi, Decienſi, Ziegenhaynio & Niddano Comiti, &c. Domino ſuo clementiſſimo.

PERVENIT, Illuſtriſſime Celſiſſimeq́ue Princeps ac Domine, Domine clementiſſime, *ante menſes abhinc tres, ad manus meas præſens hoc* BAPTISTÆ SACCI PLATINÆ, *viri omni doctrinarum genere clariſsimi, manuſcriptum opuſculum,* Διαλύπωσις, *ſiue* Deſcriptio Principis, *intitulatum. Quod cum ob variam vtilitatem ſuam (quam tamen, vtpote ex ipſo ſcripto ſatis ſuperque elucentem, longis verborum ambagibus hîc enarrare ſuperſedeo) ſumptibus meis publici iuris facere decreuiſſem, mihique quærendus eſſet Patronus, cui haſce Autoris bene collocatas vigilias, à Zoilorum, naſutulorumque ſtiolorum, liuore, morſu & leonino dente vindicandas, dicarem & conſecrarem; ad Illuſtriſsimam*

mam Celſitudinem Veſtram animum applicaui, illamque, vt hoc opuſculum ſub eiuſdem auguſtiſſimi nominis clypeo clementiſſime receptum, protegere velit, humiliter compellare volui. Quo facto meo ſi quid commiſſum eſt, Illuſtriſſ. Celſ. Veſtra indignum, ab eadem veniam mihi dari ſupplex peto. Cauſam autem præſentis inſcriptionis, quam me mouentem habuerim, breuibus recenſebo.

Hiſtoriæ teſtes nobis ſunt luculenti, diſciplinas bonarum artium ſub optimorum Principum tutela ſemper floruiſſe, perque illorum gratiam & beneuolentiam viris eruditis non minimum calcar additum fuiſſe, laborioſius hoc vel illud inveſtigandi, & literis poſtmodum mandandi. Sic Dionyſij, Alexandricæ Philoſophiæ Principis, fauor excellere fecit Platonem: Alexandri Magni beneuolentia Ariſtotelem: Mecœnatis ſtudium Virgilium & Horatium, Poëtas celeberrimos, promouit & euexit: Vetuſtiſſimorum item Philoſophorum, qui tot retro ſeculis floruerunt, ſuũ quiſque ſingularem fautorem & patronum habuit. AEgyptij Principes plurimum tribuerunt Prophetis: Perſarum Reges Magis, Batrianorum Domini Samaneis. Aſſyrij in precio habuerunt Chaldaicos ſapientes; Galli ſuos Druydes; Scythæ Anacharſin; Thraces Salmoxin. Præterea Poëtæ (in quorum commentis & arcana naturæ & hominum mores deliteſcunt) patronum ſibi finxerunt

xerunt Mercurium, Diuorum nuncium & interpretem, eumque, ceu eloquentiæ Deum coluerunt: hoc videlicet figmento indicantes, doctos & ſapientes viros, ſua facundia & doctrinæ copia, fauorem & beneuolētiam Principum nunquam non promeritos atque nactos fuiſſe.

Sed, quid priſcorum Regum, Principum & populorū recenſemus exempla, cum in viris Principibus, noſtrorum temporum, talium habeamus plurima? Annon maximo amore, fauore, honore, literas & literatos, proſecutus eſt, promouit & iuuit, Illuſtriſſimus quondam Princeps ac Dominus, Dominus PHILIPPVS *ſenior, Haſſiæ Landgrauius, &c. Illuſt. Celſ. Veſtræ auus, pientiſſimæ memoriæ, Princeps,* fama ſuper ęthera notus? *Huius fauoris, amoris & honoris teſtes ſane locupletes & omni exceptione maiores ſunt, cum* MARPVRGENSIS *Academiæ, quondam celeberrimæ, fundatio, Anno* 1527. *facta: tum ob religionem Orthodoxam, eiuſque aſſertores, viros doctos, tot tantaque exantlata pericula.*

Incomparabilis huius Herois, aui Illuſtriſſimi, nepos Generoſiſſimus (Illuſtriſſima, nempe, Celſitudo Veſtra) annon veſtigia inſequitur? Annon, paterno quaſi ſuo amore, doctos & literatos viros maximopere fouet, fauore ſuo proſequitur, authoritate ſua ſuſtinet, propoſitis præmiis exhortatur, liberalitate demeretur, humanitate allicit, literas ſplēdore ſuo, ſuiſq; ſtudiis ornat, &

luſtrat? Si quis hoc inficias ibit, teſtis ſane ampla contra eum inſurget, Illuſtriſsimæ Celſitudinis Veſtræ auſpiciis ante triennium fundata, præterito vero anno Sac. Cæſ. Maieſtatis, RVDOLPHI II. *Imperatoris Auguſtiſsimi, Patris Patriæ, &c. priuilegiis communita* noVa ACaDeMIa GIeſſena, *diuinæ & humanæ Philoſophiæ, diuino & humano Iuri, aliiſque Muſis, & illis addictis, tutá Halcyonia præbens.*

Hic Illuſtriſsimæ Celſitudinis Veſtræ amor & fauor erga literas & literatos, mihi (vt dixi) autor fuit, hunc libellum auguſto Veſtro nomini inſcribendi: obnixe petens, Illuſtriſsima Celſitudo Veſtra hoc, qualecunque fuerit, æqui bonique cõſulat, mihique Dominus ſit clemẽtiſsimus. Quod futurum, equidem nullus dubito. Nam, ſi Romani, rerum Domini magno applauſu amplexi ſunt Magonis Pœni de Agricultura libros, ac SenatuſConſulto, illos in Latinum ſermonem verti, decreuerunt, cum elogio, vt autor veneratione dignus haberetur: *Si Rex Deiotarus Diophanis de re ruſtica commentarios, ſibi dicatos, non aſpernatus eſt: ſi Auguſto Cæſari Caij Valgij liber, de herbarum vſu, acceptus fuit, vt certe fuit: ſi volumen rerum hortenſium à Sabino tyrone ſibi dicari, Mecœnas glorioſum putauerit: Eo æquius Illuſtriſsima Celſ. Veſtra hunc,* DE PRINCIPE VIRO PERFECTO, *libellum accipiet. Hoc apud poſteros & omnes, cogniti orbis gentes,*

nomen

nomen (eidem *) maxime glorioſum, æternum & nunquam moriturum comparabit & conciliet.*

Hiſce, Illuſtriſsime ac Celſiſsime Princeps, cum Generoſiſsima coniuge, prolequе maxime inclyta, in Neſtorea valeto ſecula. Dabatur Francofurti, ſexto Calend. Auguſti, Anno aræ Chriſtianæ, M. DC. VIII.

Illuſtr. Celſi. Veſtræ

ſubiectiſſimus

Egenolphus Emmelius
Bibliopola.

ELENCHVS

ELENCHVS CAPITVM HVIVS TRActatus.

Liber Primvs.

Cap. I. Vnus ſit Princeps.
II. De religione Principis.
III. Contra ſuperſtitionem & hypocriſin.
IV. De caritate Patriæ.
V. De pietate erga parẽtes & fratres.
VI. Quales amici Principum.
VII. De nobilibus amicitia Principum dignis.
VIII. Contra Aſſentatores.
IX. Contra Delatores & Maledicos.
X. Caueant à Solitudine Principes.
XI. Dę comitate & humanitate Principis.
XII. De Maieſtate & fælicitate Principis.
XIII. De infelicitate Principis.
XIV. Contra Ambitionem & Elationẽ.
XV. De Præmio Principis optime gubernantis ciuitatem.

XVI. De

XVI. De Ædibus Principis.
XVII. De Cibo & Ornatu Principum.
XVIII. De Somno Principum.
XIX. De Ludo & Iocis Principum.

LIBER SECVNDVS.

CAP. I. De officio Principis & populi.
II. De Prudentia.
III. De Conſilio.
IV. De Iuſtitia.
V. De fide.
VI. De Magiſtratibus Ciuitatis.
VII. De Clementia Principis.
VIII. Contra Cauſidicos.
IX. De Quæſtoribus: Publicanis: & Fœneratoribus.
X. Contra Auaritiam.
XI. De liberalitate & Magnificentia.
XII. De fortitudine.
XIII. De Modeſtia.

LIBER TERTIVS.

CAP. I. Quid agendum foris.
II. De Venatione.
III. De re militari.
IV. De Imperatore exercitus.
V. De legendo milite.

VI. De Exercitatione Tyronum.
VII. De Armatura Militum.
VIII. De Itinere Militari.
IX. Locus Caſtrorum.
X. Diſciplina Militaris.
XI. Stratagemata.
XII. De Pugna.
XIII. De Expugnandis oppidis: & oppreſſis in fide retinendis.
XIV. De Inſtrumentis Bellicis.

BAPTI-

100

BAPTISTÆ SACCI, PLATINÆ.

LIBER I.

De Principe viro.

Ad Illuſt. Federicum Gonzagam, Mantuæ Marchionem.

PROOEMIVM.

CVM eſſem in Albano, vitandi æſtus pulueriſque vrbani cauſa, cum Illuſtr. & ampliſſimo fratre tuo. F. Gonzaga Cardinali Mantuano: monere me viſa ſunt, vt aliquid ſcriberem, loca ipſa ſacratiſſima: in quibus tot viri memoria digni: tot vmbræ clarorum virorum verſatæ ſunt. Non enim parũ refert ad ingenium & doctrinam, ea loca inuiſere, & recognoſcere: q̃ magnorũ, præclarorum, prẹſtantiumque virorum ſedes quondã fuere: Nam & remanſiſſe aliquod veſtigium doctrinæ, & aliquã

vmbram

vmbram in his putamus: & eos ſemper affuturos arbitramur, quotiens mentem à ſenſibus ad cogitationem rerum occultarum & admirabilium traduxerimus: Hinc eſt quod Cicero, dum Athenis eſſet in Academiã deſcendens Speuſip. Xenoc. eiuſq; auditoris Polem. ſeſſiones libenter inſpexerit: Conuertebat & me, inquit, ad ſe coloneus ille locus, cuius in ſchola Sophocles, quo maxime delector, ob oculos verſabatur: Inuiſit & Phalericum, quo in loco ad fluctum aiũt declamare ſolitum Demoſthenem, vt fremitus aſſueſceret voce ſuperare & vincere. Idem quoque Metapontum accedens, nõ prius ad hoſpitem diuertit, quã Pythagoræ illum ipſum locum vbi vitam ediderat, ſedemque habuerat, viderit: Eodem ſtudio motus Archimenidis ſepulchrum ſeptum vndique, & veſtitum vepribus inuenit, in quo Sphera cum Cylindro erat, ad baſim epigramma ſenariolũ exeſis poſterioribus

rioribus partibus verſiculorum, quacunque enim ingrederetur, ponere ſe pedem in aliquam hiſtoriam putabat. Hoc eodem ſtudio & ego delectatus nullum veſtigium antiquitatis, cum in vrbe, tum in agris prætermiſi, nõ tam curioſus cernendæ vetuſtatis, quam ſtudioſus eorum virorum qui aliquid ingenij & doctrinę poſteris reliquere: Etenim ex hac diligentia non parum me profeciſſe ſentio, cum in alijs cogitationibus meis, tũ vel maxime in hac, qua admonitus ſum ab eiſdem credo vmbris, vt aliquid de principatu, tuo nomine ederem. Ad quem enim po-tius de principe quam ad te princi-pem ſcriberem, circumſpiciens cer-te videbam neminem, cum ex ea fa-milia natus ſis, ſi agnationis & gen-tilitatis gradum, & legitimam ſuc-ceſſionem, & amplitudinem Illuſtris patris tui ampliſſimiq; fratris intueri volumus, quæ facile primaria in Italia haberi debeat. Cumque etiam

iure

iure affinitatis, vnde & maternũ genus ducis, & vxorem habes, hoc nomen ſine controuerſia mereare, monere & me plurimum & mea erga te, ac familiam tuam fides, beneuolentiaque, ac ſeminaquędam magni excellentiſque animi, quæ in te nondũ etiam pubeſcente cognoui. Iuuare enim mea induſtria volui, & ad maturam frugem perducere, quod herbidum adhuc & immaturum antea reliqueram, facile enim dici nõ poteſt, mi Federice, quãtopere cupiã, te, quem ſemper vnice dilexi, in omni genere virtutis, vt principẽ decet excellere, quod quidẽ haud grauate abs te fiet, ſi & generoſitatẽ animi tui ſequêre, & hæc mea de optimo principe tuo rogatu ad te ſcripta, quemadmodum mihi pollicitus es, diligenter ac crebro leges, quod facere ꝑfecto debebis, tũ autoritate Socratis, Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis motus, quos tãquam optimos duces in hac ſcriptione ſum imitatus,

Socrates. Plato. Ariſtoteles. Cicero.

tatus; tum caritate patriȩ, quȩ te obſecrat, vt antequam gubernacula ciuitatis ſuſcipias, diſcas tanquam in tranquillo tantam nauim gubernare.

In tertio libro de re militari ſcriptum inuenies ad imitationem Zenophontis, Catonis, Celſi, Dionis, Frontini, Vegetij, ne ſi quod domi tibi & ciuibus tuis agendum ſit noris, quod foris ſit faciendum ignores. Hac vero in parte ſi mihi obijci audies, quod Phormioni cuidam apud Antiochum regem, de re militari diſſerenti ab Hannibale obiectum ferunt, videlicet ſe audiuiſſe multos ſenes deliros, ſed qui magis deliraret, vidiſſe neminem, cum ea de re apud ſe loqueretur præſertim, in qua nunquam fuerat exercitatus, reſpōdere tu quidem ac vere poteris, me adoleſcentem & quadriennio militem leuis armaturæ fuiſſe, & partim ſub F. Sfortia, partim ſub Nicolao Picinino, egregijs copiarum ducibus

Zenophon. Cato. Celſus. Dion. Frontinus. Vegetius. Phormion. Antiochus. Hannibal. F. Sfortia. Nicolaus Picininus.

bus militaſſe, vidiſſeque multa quæ ad hanc diſciplinam pertinent: Neque audacis & temerarij factum videri, ſi de re cui aliquando interfuerim, ad te quem gnarum rerum omnium eſſe oportet, perſcripſerim: Ab hac vero calumnia facile ceſſabunt omnes, ſi abs te vno mea ſcripta probari intellexerint, probata autē putabunt, ſi ea frequenter in manibus habueris, perlegeriſque, quod vt facias, tua ac mea cauſa te rogo.

Vnus ſit Princeps.

CAP. I.

LYCVRGVS ille Lacedæmonius, cuius tanta fuit auctoritas in cōdendis legibus ordinandoque principatu, ac regno, vt propter diuinam hominis mentem, inſtituta quibus omnes ferme gentes, ac nationes in gubernandis ciuitatibus vterentur, de Ioue, vt ait Plato, ſumpta putant: adhortanti cuidam, vt ſpartam in popularem potentiam redigeret, hanc

anc tu primus, inquit, domui tuæ
roponito: Male cum ea Rep. actum
ſtendẽs, in qua plures non ſine ma-
na calamitate velint excellere. Cũ
uaritia & ambitio, vnde infinita
nala naſcuntur, ex multitudine ſta-
im oriantur, ſiue quid domi conſul-
andum, ſiue foris agendum ſit. Qui
enim fieri poteſt, vt populus, cui te-
meritas & cupiditas prope comites
ſociæque ſunt, vel regat ipſe alios
conſilio, quo indiget, vel ad agẽdum
impellat, cum à principe, cui tutela
bonorum etiam contra populum, vt
ait Ariſtoteles data eſt, contineri in *Ariſtoteles.*
officio metu legum vix poſſit? Ho- *Homerus.*
merus ille cuius tota poeſis huiuſce-
modi præceptis, & inſtitutis ſcatet,
hanc eſſe ſapientiſſimã Vliſſis ſentẽ- *Vliſſes.*
tiam dicit: Multorũ imperium mala
res eſt, vnus eſto princeps, & Rex v-
nus, quem Deus optimus maximus
ſibimet ſimilem quoad fieri potuit,
inſtituit: Hũc enim mundum, quod
& cœlum alio nomine licet appella-

re, vnus Rex, atque idem Deorum & hominum pater, tot ſæculis mouet & gubernat, tanta ſapientia & perpetuitate, vt ne momento quidem temporis cœleſtia corpora ab officio vacent. Phaetontis autem fabula non ſine ratione ficta, vnum debere eſſe principem oſtendit, cuius nutu omnia regantur, cuiuſque fulmine trudantur è repub. in Eridanum, qui veluti imperiti aurigæ malè gubernando, tot millia hominum incẽdijs ſua ſtultitia obijciunt: Tota enim principatus inuentio in vna integritate fundata eſt, hanc ſiquidem peperit aut dignitas ipſa, aut propria vel generis virtus, aut beneficia conſilio, & armis in populos collata: Quod feciſſe Codrũ Athenienſem patet, qui ſeſe etiam ob ſalutem populi ſui deuouit: Cyprus quoque regnum meruit, quod Perſas à Medis conſilio & armis vindicauerit. Vrbium etiam conditores huic numero aſcribuntur, inter quos merito conditor

Phaeton.

104

ır parens Vrbis Romulus cenſe-
. Sublato autem apud Romanos
impotentiã Tarquinij regio no-
ne, ob auctum imperium, ne vir-
ſuo prẹmio fraudaretur, Impera-
res ſunt nominati. Quorum de
merο cum poſtea res ad vnum, vi-
o temporum, trãslata eſſet, C. Cæ-
r Auguſtus, Veſpaſianus, Titus,
raianus, Antonini duo, Aurelius,
lexander, merito ſunt habiti. Con-
ra vero tyrannos eos appellamus,
qui populari aura moti virtutem &
obilitatem cõtemnũt, nullum ge-
nus flagitij & iniuriæ in optimum
quemque prætermittẽtes: Ceu Phi-
don apud Argos, Panætius in Leon-
tinis, Cypſelus Corinthi, Piſiſtratus
Athènis, Dionyſius Syracuſis, Pha-
laris Agrigẽti, Romæ ſuperbus Tar-
quinius. In Iudea Herodes: Ij enim à
bono parente, à quo Zenophon So-
craticus nullo modo differre princi-
pem oſtendit, multum diſtant, cum
non publica, ſed priuata commoda

inſpiciant: Nec profecto refert, vnũ pluresve tyrannos proponas, quales olim in multis ciuitatibus, maxime autem Athenis, nunc vero Bononię, ac Florẽtię cernuntur. Horum enim cura hæc eſt, cum virtute nequaquã muniti ſint, & arma ciuibus ſuis adimere, ac optimum quenque opprimere, aut ex vrbe pellere, eandemq; vacuam habitatoribus reddere, quo vaſtitate ipſa ac ſolitudine tutiores ſint: Laudare optimatum Remp. popularemve, quarum altera ad tyrannidem vel paucorum potentiam facile deſcẽdit, altera ad principem vergit, inſtituti noſtri nequaquã eſt. Optimum principem quęrimus, qui vt viua lex merito omnibus imperet: recte vbique ſe habere Pindarus ait: Si quemadmodum parentes gnatis, ſeniores iunioribus, domini ſeruis, ſic meliores peioribus, prudentes ignaris rerum, ignobilibus generoſi imperent: Sapientiſſimum igitur & optimum principem quærimus, nõ

otio, ſed negotio, non ſomno ſed vigilijs deditum: qui circumſpiciat, conſideret, intueatur, quid ad communem hominum vtilitatem pertineat. Principum enim oculi nō priuati, ſed publici ſunt, & tanquam lumina quædam errantibus viam oſtēdentia: Eum ergo prudentia, conſilio; induſtria, labore, cæteris præſtare opportet, qui dignitate, & auctoritate præſtat. Nec erit alienum eundem, ſi fieri poterit, in quouis genere doctrinæ & virtutis excellere, quo pluribus adminiculis fultus; admirationem quandam diuinitatis præ ſe ferens, populos facilius in officio contineat.

De Religione Principis.

Cap. II.

Comparandæ auctoritatis, conſtituendiq; principatus, potiſſimum fundamentum Religio eſt. Non enim parum fidei apud omnes ſibi vendicant, qui & Deum immor-

talem eſſe, & omnia poſſe, & quicquid homines præclarũ & excelſum habent, nõ propria induſtria, ſed diuino munere putant obtinere, ſi aùctorem tãti muneris obſeruauerint, coluerint, adorauerint: Vt igitur vnus Deus in ciuitate & ditione túa, pie caſteque colatur, tibi curandum eſt. Hoc enim à te merito ſuo vult Deus, à quo tantum muneris in vita accepiſti, vt & præeſſes, alijs & imperares. Erit & ad tutelam tui ipſius, & ad munimentum principatus robur non paruum. Magis enim homines, vt ait Ariſtoteles, reformidant, quem religioni deditum cernunt, minuſque contra illum audẽt, quem Deo amicum vident. Quid diſcedenti Cyro ad Aſtyagen, pater dicat, audi quæſo. Hæc à me diſcas fili, Cambyſes ait, quæ habentur maxima, niſi ſacris peractis Deúmque voluntate augurijs perſpecta, nihil neque priuatis neque publicis in rebus agas vnquã: Erroribus enim plenum eſt

Ariſtoteles.

Cyrus.
Aſtyages.

Cambyſes.

eſt humanum genus: At dij cum ſemper fuerint, cũ nouerint omnia, tum præſentia, tum præterita, tum futura, adſunt conſultationibus hominum, quibus fuerint propitij, ſignifque oſtendunt, quæ agere, quibuſve abſtinere oporteat. Quod ſi nolint omnibus conſultum eſſe, nil mirum, nulla enim vrgentur neceſſitate, vt quæ nolint curent. Hoc ſanctiſſimo præcepto motus Cyrus, nil vnquam egit priuatim ac publice, quod ad Regem pertineret; quin prius litaret, comparataque victoria litãdo dijs gratias ageret, factum eſt preterea religione tanti Regis, vt regnum Perſarum: ferox antea, & indocile, ad veram frugem redigeretur. Bella nunquam niſi prius conſulto Domino ſuſcepit Dauid ille fortiſſimus, qui & Goliatũ ſingulari certamine ſuperauit, & finitimas gentes Iudæis infeſtas domuit: Deo prius ſemper litauit, hymnoſque ſtatim eidem gratias agens, cecinit. *Dauid.* *Goliat.*

Antipater. *Ariſtoteles.* *Alexander.* Scribens ad Antipatrum Ariſtoteles hominem rogat, vt Alexãdrum Regem moneat, ne elatus tot victorijs Deum contemnat. Qui fortaſſe diutius vixiſſet, ſi præceptoris ſapientiſſimi monitis obtemperauiſſet, nec *Hammon.* coli vt Hammonis filius & more Perſarum voluiſſet. Quanta ſit autem religionis vis, ex hoc maxime comprehẽdi poteſt, quod gentium quoque Reges, ob pietatẽ in Deos qualeſcunque feliciores ſunt habiti. Ferocem populum Romuli imperio, religione inuecta ad meliorem cultum redegit Numa Pompilius, non *Numa Pompilius.* alienus ab omni virtute: Teſtantur hoc facile & ſacra quædam regni pignora. Ianus ſcilicet bifrons, belli & pacis arbiter, focus veſtæ virginibus creditus, Pontifices, Augures, ritus ſacrorum, faſti dies; Incognita ante Numam hæc omnia erant, verum his acceptis, facile fuit Populũ efferatum licentia bellica in officio continere. Ad hãc rem ſpectans Senatus

natus ſingulis annis decem Patritiorum filios ob Religionem Hetruſca imbui diſciplina voluere. *Hetruſca diſciplina.* Datũ honori eſt & quidem maximo. L. Aluanio, *L. Aluanius* quod obuius ſacris factus, quę ex direpta à Gallis vrbe aſportabantur, è plauſtro coniugem, ac ſuos omnes, deſilire iuſſerit, ac ſacra imponi, quæ Cæræ ad oppidum delata ſunt, inde nomen ceremonijs datum. *Ceremoniæ.* Vnus ex fabijs obſeſſo à Gallis Capitolio *Fabius.* per medios hoſtes, in quirinalẽ collem illæſus ad ſacra peragenda, quæ tum inſtabant, tranſijt, ne quid de ritu Deorum ob metum prætermitteretur. Multos quoque luiſſe pœnam ob ſpretam Religionẽ conſtat. *Varro.* Varro enim contra Hannibalem infeliciter ad Cannas pugnaſſe creditur quod ædilis hiſtrionem puerum eximia forma Iouis templo præfecerit ad excubias. Q. Fuluius Flaccus ſublatis in cẽſura è Templo Iunonis Locrinæ tegulis marmoreis, nunquam poſtea ſanæ mentis fuit. Tegulas au-

 tem

tem ob Deorum metum Senatus reportari iuſſit. Maſſiniſſa quoque templo Iunonis Melitæ dentes eburneos reddidit, ſublatos inde à præfecto clauis, inſculptis poſtea litteris, regem ignarum dẽtes recepiſſe, tanta in barbaris religio fuit, etſi, falſis de Deo opinionibus mouerentur. At tu, & reliqui Chriſtiani principes, qui Chriſtum vnici Dei filium colitis cum Patre ac Spiritu Sancto regnantẽ, vnumque Deum in trinitate perſonarum, & trinitatem in vnitate diuinitatis adoratis, circa veri Dei cultum tot grauiſſimis teſtibus, ac infinito prope martyrum ſanguine approbatum, à gentibus religione & pietate ſuperari patiemini? Maxime vero cum illi in tenebris ambularint, vobis autem ſalutis iter, ab ipſo Dei filio, ſuo ſanguine & grauiſſimis ad mortem cruciatibus, apertum & monſtratum ſit. Multa quidem ac præclara munera ab hoc ipſo Deo cõſequutus es, ſi recte maiorum

Chriſtus.

iorum tuorum res geſtas, meo labore, & induſtria literis commendatas intueris. Quis Alouiſium principatus ac prope gentilitatis veſtræ auctorẽ, à Luctino Vicecomite hoſte grauiſſimo, ac potentiſſimo contra tantas copias terra ac Pado flumine tutatꝰ eſt? Deus. Quis Vgolino Gongiaco viro ſapientiſſimo, ac manu prompto victoriam de Bernabore Vicecomite, veſtram vrbem grauiſſimo bello premẽte dedit? Deus. Quis proaui tui ditionem munijt contra Scaligeros, & Vicecomites? Deus. Quis auum à tot grauiſſimis hoſtibus vndique vrgentibus vindicauit? Deus. Quis patri tuo Ludouico bello à Venetis preſſo, præclara illa, cuius meminiſti ad gaudium, victoria fundere ac fugare hoſtes conceſſit? Deus. Memento igitur Deum colere, cuius beneficio, & maiorum tuorum virtute is principatus tibi ci reſeruatur. Hoc idem vt faciant ciues tui curato, quod haud grauate fiet, ſi

Alouiſius.
Luctinus.
Vgolinus Gongiaca
Bernabos.

et, ſi te pie ac ſanҫte viuere intellexerint. Tales enim vt ait Plato, ſolent *Plato.* eſſe reliqui ciues, qualis eſt in repub. princeps. Proaui, & aui tui, atq; auiæ religio eo integritatis & modeſtiæ perpulit Mantuanos ciues, vt nullus religioſorum cõuentus admittatur, niſi eorum qui obſeruationẽ de more ac voto tenuerint. Erga hos vero quam munifica ſemper & liberalis fuerit veſtra familia, ex hoc maxime patet, quod nulla ciuitas in tota Italia eſt, in qua velint libentius quã in tua degere religioſi, ex quauis profeſſione viri, adeo comiter, & perhumane ab omnibus tractantur. Struxerunt templa & quidem præclara maiores tui: Sicut & pater, ornarũt aras Dei, ac ſanctorũ ſimulacra, memores beneficiorũ à Deo acceptorum: Quod etiam tibi faciendum erit, ne à tam pia, & excellenti ſtirpe degenerare videaris.

Contra Superſtitionem & Hypocriſim.

Cap. III.

SED duo hac in re maxime attendenda ſunt, vnum ne ſuperſtitione tempus teras, alterum ne ab Hypocritis decipiare. Non enim Philoſophi ſolum, vt ait Cicero, verum etiam maiores noſtri ſuperſtitionem à religione ſeparauerunt. Nam qui totos dies precabantur & immolabant, non vt Deum colerẽt, ſed hoc ſolo intuitu (quod proprium erat gentilium, non autem Chriſtianorũ) vt ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati. Quod nomen poſtea latius patuit. Qui autem omnia quæ ad cultum Deorum pertinerent diligenter retractarent, & tanquam relegerent, ſunt dicti religioſi: Vt elegantes ex eligendo, tanquam à deligendo deligentes, ex intelligendo intelligẽtes, his enim verbis omnibus ineſt vis e- *Religio vnde.*

ligendi

ligendi eadem quæ in religioſo. Vnde alterum vitij nomen eſt, alterum laudis. Eſt autē religio veri Dei cultus, ſuperſtitio falſi, vt qui ſuperſtitem memoriam defunctorum colūt tanquam Deos. Cur aut à religando potius dictā velit religionē Lactantius, non ſatis intelligo: Fuit biduo apud inferos Chriſtus, inquit, hoc vinculo pietatis obſtricti Deo religati ſumus, vnde religio nomen accepit. Verum cum ante Chriſtum Deorum quoque metus eſſet, cuius ſanguine & pietate religati eramus? Nullum erat tum vinculum, imo titubabant & ſoluta erant omnia. Venit qui nos redimeret, & cuius pietatem ac miſericordiam relegeremus tantorum meritorum memores. Vter vero melius ſentiat aliorū ſit iudicium. Aniles igitur ſuperſtitiones, & otioſorum quorundam fuge, ne vt antea dixi, fruſtra tempus in nugis quibuſdam teras, & ea timeas quæ oſcitantes quidā aucupij gratia confingunt

[Q]uid religio.

[Q]uid ſuperſtitio.

[L]actantius.

fingunt & ſomniant: Nolo roges ſacerdotes tuos, quod Socratē feciſſe aiunt, vt Æſculapio pro te gallum ſacrificent. Fuit in patruo tuo Alexandro mira pietas & religio, ſed ita interdum exceſſit, impulſus credo nebulonum quorundam ſuperſtitionibus, vt minima quæque ſeniliter reformidaret; Sanctitatem, quæ eſt vt ait Cicero, colendi Dei ſcientia, amplectere, & poſt Dei cultum vigila tu qui patriæ parēs futurus es: Vt ciues qui in te vnum oculos iampridem cōiecêre, quā feliciſſimi ſint: Quod certe fiet, ſi tua opera, induſtria, labore, curabis, vt honeſte, iuſte, fortiter, ac prudenter, viuant. Ab Hypocritis quoque tibi cauendum eſt, genere hominum malefico & pernicioſo, hos quidem rerum omnium ſimulatores, & diſſimulatores Saluator ipſe in Euangelio accuſat, deteſtatur, vt noſti: Occultum quippe ſcelus eſt, nec vt alia vitia facile dignoſci poteſt. Virtutis enim ac ſanctitatis no-

Socrates.

Alexander.

Sanctitas quid.

mina ſemper in ore habent, contemnere omnia videntur: Saluatoris & ſanctorum ſimulacra publice magis, quam priuate, venerantur, adorant, obtorto ambulant collo, demiſſo vultu, ſqualida barba ac veſte, atque ij quidem magna ex parte ignaui, rudes, ſordidi, ſola oſtentatione, & vultus pallore conſpicui, hominibus tãquam inutiles fuci, & alienis laboribus inſidiantes, infeſti ſunt; hac in-

Cicero. dignitate motus Cicero, nullam ait, capitaliorem peſtem eſſe, quam eorum qui cum mali ſint, id tamen agunt, vt viri boni eſſe videantur. Omnia nimirum ij redigunt ad vtilitatem ſuam, omiſſa cura ſocietatis humanæ, quam qui deſerunt magis cõtra naturam agunt, quam ſi patriam, aut parentes, oppugnent. Scribens

Seneca. ad Lucillum Seneca, hominem monet, vt hypocritarum more nil agat, qui non perficere quod oſtentant, ſed conſpici cupiunt. Aſperum inquit, incultum, intonſumque caput,

put, cubile humi poſitũ, & quicquid aliud ambitio, peruerſa via ſequitur, euita: In quouis genere hominum ob lucrum & ambitionem hæc mõſtra reperies. Caute igitur agendum eſt, ne ab hypocritis, quorum in ciuitate tua magnus eſt numerus, circũueniaris. Cætera enim vitia declarari, aut puniri quodammodo poſſunt: ſola hypocriſis remanet intacta, quia depræhendi vitium ipſum aperte non poteſt. Dubitant enim homines recte ne ij, an perperam agãt, cogniti & depræhenſi, cum fraus vt ait M. Tullius, quæuis maiori odio digna ſit: fugãdi nõ aliter ab vrbe tua ſunt, quam olim & Plato Poetas de ſua republ. & Cato Medicos ab vrbe Roma pellendos cenſuêre, tanquã graues, & moribus ciuium, ac ſaluti infeſtos. *M.Tullius* *Plato.* *Cato.*

De Caritate Patriæ.

Cap. IV.

STOICORVM mos fuit, vbi de religione diſſeruiſſent, ſecundo loco

 carita-

caritatem patriæ diſceptandi gratia proponere. Nec mirum id quidem, namcum omnia, vt ait M. Tullius: ratione, animoque luſtraueris, omniũ ſocietatum nulla eſt gratior, nulla carior, quam ea quæ cum Rep. eſt. Vnicuique noſtrum cari ſunt parẽtes, cari liberi, propinqui, familiares: Sed omnes omnium caritates, patria vna complexa eſt, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Quo eſt deteſtabilius iſtorum immanitas, qui lacerant omni ſcelere patriam, & in ea funditus delenda occupati ſunt. Augere enim ciuitatem imperio, agris, honeſtis vectigalibus, magnorũ principum eſt, & hac ex re apud gẽtes omnes, magnam adipiſcuntur gratiam, & gloriam. Contra vero in vitio ſunt vtpote tyranni, qui poſthabitis commodis ciuium explendę auaritiæ ac voluptatis cauſa exigunt, extorquent quicquid in mẽtem venit. Vt de Tiberio; C. Caligula; Nerone;

M. Tullius. *Tiberius.* *C. Caligula.*

rone, Domitiano, legit qui poſtea vt nefandi parricidę vnco tracti ad ſcalas gemonias ſunt. Potuit ne vox ſceleratior vlla videri, quam illa L. Catilinæ? Qui dicente Cicerone incendium ab eo excitatum, ſentio inquit, & quidem illud ſi aqua non potero, ruina ſaltem extinguam, patriæ excidium minatus, ſed hunc idem exitus manſit, qui L. Saturninum Spurium Melium, duos Graccos, tyrannidem ad exitium bonorum ciuium appetētes. Quanto laudabilior Brutus ille primus Conſul? qui neque filijs quidem in coniuratione deprænenſis, neque ſibi ipſi pepercit, dum ſtudio tuendæ patriæ, quam è Tarquinij manibus vindicauerat, collatis haſtis, cum Arúnte Superbi filio congreditur. Cecidêre ambo mutuis vulneribus, ſed diuerſo nomine, laudatur Brutus vt optimus ciuis, & bene de patria meritus. Vituperatur Aruns vt nequiſſimus parricida, & quouis grādi ſupplicio dignus: Lau-

Nero. *Domitia[nus]* *L. Catil[ina]* *Cicero.* *L. Satur[ninus]* *Sp. Meli[us]* *Gracci d[uo]* *Brutus.* *Aruns.*

danda eſt & Deciorum caritas, quo- *ecij duo.*
rum alter bello Gallico, alter bello
Latino ꝑ ſalute patriæ ſeſe deuouê-
re. Iniecit ſe in lacum Curtius nobi- *urtius.*
liſſimus adoleſcens armatus, equo
calcaribus in voraginẽ adacto, quod
hiatum terræ coire non poſſe intel-
lexerat, niſi ea re iniecta, qua Po. Ro.
plurimum valeret. Hoc Curtij factũ
ita laudauere ciues, vt in eundem lo-
cum ſinguli quique honoris gratia
quadrantem coniecerint. Cogitan-
tibus autẽ poſt Cannenſem pugnã
militib. duce Metello, de relinquẽ-
da Italia: Scipio, qui poſtea Africa- *pio Aphri-*
nus cognominatus eſt, ſtricto gladio *nus.*
mortem minatus, eos ſententia de-
pulit. Captis vehis cum aurum mit-
tendũ eſſet Delphico Apollini pro-
pter decimas, quas Camillus voue- *millus.*
rat, nec facultas eſſet, matronæ or- *tr. Rom.*
namenta ſua in ærarium retulêre:
Idem fecêre cum Vrbs à Gallis præ-
tio redimenda eſſet. Cum Thraſy- *raſybu-*
bulus parua manu XXX. tyrannos *Tyranni.*

Athe-

Athenis deijcere conaretur, vno ore cõſoçijs dicentib. quãtum tibi Thraſybule debebunt Athenæ: reſpondit, dij faciant vt quãtum patriæ debeo, exſoluam. At Themiſtocles, ne patriæ bellum inſtante Xerxe rege Perſarum inferret, inſtituto ſacrificio patera exceptum tauri ſanguinẽ hauſit. Putas ne vllam aliam ob cauſam patruum tuum Carolum, virum alioquin magna laude dignum, auctoritatem cum re amiſiſſe, quam quod patriæ in cuius ſinu fuerat educatus, arma intulerit? Idem accidit Coriolano, Cinnæ, idem Mario. C. Marij filio. Deflet ante omnia interitum patriæ, his verbis Æneas, apud Virgilium: O patria, o Diuum domus Ilion inclyta bello, Mœnia Dardanidum, ꝙ nobis Deũ ſemper excipio, nil patria carius, aut dulcius, vt aiunt Græci, in vita eſſe debet. Tu itaque bonorum exemplo patriam tuam opibus, dignitate, auctoritate quoad fieri poteſt, auge & confirma.

Themiſto *Xerxes.* *Carolus Gonziaca* *Coriolanu* *Cinna.* *Marius.* *AEneas.*

De Pietate erga Parentes & fratres.

CAP. V.

BENE lectum eſt apud neſcio quẽ, impoſſibile eſſe hominem pium male mori, eſt enim in mãdatis, quo diutius viuas patrem & matrem honora. Alibi vero qui dixerit fratri ſuo Racah reus erit gehennæ ignis. Virtutum enim omnium pietas ipſa, vt *Ambroſius.* Ambroſio placet, fundamentum eſt: Putare profecto vnuſquiſque debet, *Plato.* vt ait Plato, omnia quæ poſſidet eorum eſſe qui nos genuêre, quique educauêre, ſecundo loco eorum quibus cum geniti & educati ſumus. Nã ſi contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimũ debeamus, poſt Deum & patriam ſequentur parentes, quorum beneficijs & quidẽ grauiſſimis aſtricti ſumus, ſequentur liberi, fratres, bene cõuenientes propinqui: Colendam eſſe iuſtitiam & *Scipio.* pietatem clamabat Scipio, quæ cum magna in parentibus ſit, tum in patria maxima eſt, qua iter eſt in cœlũ: Dirimi

Dirimi enim ſine nefario ſcelere caritas non poteſt, quæ eſt inter parentes & natos, fratrumque inter ſe: cũ à Pomponio. Ir. Pl. dicta Manlio Torquato Dictatori dies eſſet, quod occaſione bene gerendæ rei exceſſiſſet imperii obtinendi legitimum tempus, & quod optimum filium ab hominibus relegaſſet, & rure habitare iuſſiſſet, filius adoleſcens prima luce Romam venit ad Pomponium, vbi negotium exhiberi patri intellexit, à quo ſtatim intromiſſus, quia exiſtimaret contra patrem aliquid afferre, remotis arbitris gladium ſtrinxit: Pomponiumq; iurare coegit, ſe patrem miſſum eſſe facturum, plus mouit adoleſcentem pietas in patrem, quam in ſe patris moroſitas & iniuria: Coriolanum quoque, quem nec dij, nec homines dimouere ab obſidione Vrbis potuerant, ſola mater lacrymabundũ etiam auertit: Scipio ille, cui poſtea Aphricano cognomentum fuit, patrem apud Ficinum

Pomponiu[s]

Scipio.

in prælio vulneratum ſeruauit: M. Cotta. Cotta eo die quo virilem togã ſumpſit, cum primum è Capitolio deſcendit. C. Carbonem, à quo pater eius damnatus fuerat, in iudicium vocauit, & graui iudicio preſſit. Carbo. Vim quoque pietas addit imbecillitati ſexus: Nam & Claudia Veſtalis è manibus tribuni. Pl. patrem in iudicium vocatum abripuit: Claudia. Prætor item mulierem ingenuam capite damnatam in carcere necandam tradidit: Pietate motus triumuir, non ſtatim eam necauit, huius mulieris filiæ diligenter tum excuſſæ, ne quid cibi ad matrem ferret, aditum præbuit, futurũ exiſtimans, vt ſine ſua noxa mulier inedia conficeretur: Viuebat tamen illa vberibus filiæ alita, qua re cognita, liberata mater filię pietati condonata eſt. Eodem modo conſtat Cimonem captiuum in vita à filia retẽtum. mon. Crœſi Regis filius mutus vocẽ œſas. expreſſit cum videret patrem ab ignauo milite peti. inonius. Vt Phinonius & naras.

Anaras pij nomen conſequuti ſunt, quod matrem per medios Ætnæ ignes portarunt, ita Æneas ob eandẽ pietatem à Marone celebratur, quod & penates Troię, & patrem humeris ex incendio liberauerit. Vnde & diſticho illo laudari meruit, quo quidẽ Nero ob impietatem & ſæuitiam laceratur: Quis negat Æneæ magna de ſtirpe Neronem? Suſtulit hic matrem ſuſtulit ille patrem. Violauit ſceleratus Nero, plus quam dici poteſt pietatis iura, quippe qui matrem Agrippinam interemit, à qua procreatus, nutritus, & in tanto imperio collocatus fuerat. Ferum & ſtolidũ animal, qui eos quorum præſidio ob cognationem & affinitatem, tutus eſſe poterat, è medio ſuſtulerit. Audi quæſo quid principem inſtituens dicat Zenophon Socraticus: Fidi amici, non vi ſed beneficio comparãtur. Si igitur tibi comparare fidos regni cuſtodes inſtituis, à nullo prius quã à fratre incipiendum eſt. Ciues inſu-

AEneas.

Agrippina.

Zenophon.

per tibi coniunctiores ſint quam externi, ſed qui te magis ab iniuria omni tueatur, quique malit dignitatem tuam augeri quam frater, inuenies neminem. Cum prouincię conſulibus decernerētur, maluit Scipio fratri quam Lęlio amiciſſimo Aſiam deferri, ſeque L. Scipioni fratri quo victor cum triumpho rediret, legatum, cum Imperator antea fuiſſet, præſtitit. M. Fabius Conſul. ex Vehentibus triumphum ad ſe delatum ducere noluit, q; illic occiſum. Q. fratrem noſſet: Cum miles quidam auſpicijs Pompeij in Hiſpania dimicans Sertorianum militem interfeciſſet, ac inter ſpoliandum fratrem eſſe cognouiſſet, Deos execratus fratris corpus pretioſis vnguentis delibutum rogo lacrymabundus impoſuit, ſeque poſtea confoſſum eiſdem flammis iniecit. Tantum valuit dolor violatæ pietatis, ſine qua nihil poteſt in vita aut tutum, aut ſuaue videri.

Scipio. *elius.* *Scipio.* *I. Fabius.* *iles Pom- ianus.*

Quales

Quales Amici Principum.
Cap. VI.

Dion ille Pruſienſis qui adeo Traiano familiaris fuit, vt ſæpe eodem curru, eademque lectica veheretur, ad eundem quem tantopere amabat, de regno ſcribens: Superat inquit omnia arma, omnes ſatellites, omnem cuſtodiam, amicorum beneuolentia. Tot enim aures habēt principes, tot oculos, tot manus, tot animos, quot amicos. Rerum autem omnium nec aptius eſt quicquam ad principatum tuendum, ac tenendū, quam diligi, nec alienius quā timeri: Vnde præclare ait Ennius, quē metuunt, oderunt, quem quiſque odit, perijſſe expetit, neque certè vllius tātæ ſunt opes, quæ odijs multorum poſſint obſiſtere: Malus enim cuſtos diuturnitatis, vt placet M. Tullio metus eſt, contraque beneuolentia fidelis: Qua ſi fultus fuiſſet Dioniſius ille ſuperior, nec cultros tonſorios metuiſſet, nec candente carbone ſibi

Dion. *Traianus.* *Ennius.* *M. Tullius.* *Dionyſius.*

ſibi capillũ aduſſiſſet. Eos enim metuant tyranni neceſſe eſt, à quibus metui volũt: Nam mutua ſint oportet & beneuolẽtia & odium. Quo animo vixiſſe arbitramur Alexandrũ Phereum? qui vt ſcriptum legimus, cum vxorem Thebem admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum cui vitam committebat, vera priuatus amicitia, ſtricto gladio iubebat anteire, præmittebatque de ſtipatoribus ſuis, qui perſcrutarent arculas muliebres, & ne quod veſtimentis occultaretur telum, exquirerent. Verũ hæc tollerare diutius nequiuêre, ab vxore enim ipſe, propter pellicatus ſuſpicionem, interfectus eſt: & ne quiſpiam ob magnas opes, & imperij magnitudinem à gladijs ſe tutũ exiſtimet, Phalarim potentiſſimum tyrannum, non à paucis, ſed ab vniuerſa Agrigentinorum multitudine oppreſſum inſpiciat. Quis C. Caligulã: Quis Claudium: Quis Neronem:

Alexander. Phereus. Thebes.

Phalaris.

C. Caligula. Claudius. Nero.

Quis

Quis Domitianum, portēta illa imperij nō iure cæſos dixerit? Quis improbat ætate noſtra Ioannis Viceco- mitis Mediolanēſium ducis cædem? qui homines etiam indemnatos rabidis canibus lacerādos obijciebat? Quis nō item probat huius fratrem Philippum Ducem, clemētia & magnitudine animi, cū quouis optimo principe comparandum? quod Cabrynum Fondulum ſæuiſſimum omnium qui ætate noſtra fuere tyrannum, & dominatu Cremonæ depulerit, & vita tandem ſpoliauerit. Huius erat tota vita tyrannica, in qua nulla fides, nulla caritas, nulla ſtabilis beneuolentiæ poteſt eſſe fiducia, omnia ſemper ſuſpecta atque ſollicita ſunt, nullus locus eſt amicitiæ: Vidētur tamen coli ſimulatione duntaxat ad tempus: Quod ſi forte, vt perſæpe fit, ceciderint de gradu, tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum: Quod Tarquinium dixiſſe ferunt, tum cum exul eſſet, ſe intellexiſſe

Domitianus.

Io. ViceCom.

Philippus.

Cabrynus Fondulus.

Tarquinius.

lexiſſe quos fidos amicos habuiſſet, quoſq; infidos, cum iam neutri gratiam referre poſſet. Quid autē ſtultius eſt, vt ait Lælius Ciceronis, quā vt plurimum copijs, facultatibus, opibus valeas, cætera parare quæ parantur, pecuniam, veſtes, famulos, gloriam, vaſa pretioſa, amicos non parare, optimam & pulcherrimam vitæ ſupellectilem? Vita enim inculta & deſerta ab amicis nō poteſt eſſe iucunda: Quærenda igitur ciuium omniū caritas eſt, humanitate, clementia, comitate, & gratia. Verum quia non cum omnibus, ob maieſtatem dignitatis viuere familiariter princeps poteſt, deligendi ſunt, qui ob ſapientiam, virtutem & integritatem animi, amicitia tua digni habeantur, quique merito boni viri appellari poſſint. Neque enim aliter vera amicitia dici poterit, niſi fuerit in virtute, conſtantia, ac perpetuitate fundata, qualis fuit illa Scipionis & Lęlij, Oreſtis & Pyladis, ac duorum

Scipio. Lælius. Oreſtes. Pylades.

duorum Pythagoreorum, Damonis & Pythiæ: Hos ſi nimium exactæ amicitiæ fuiſſe putas, delige ex nobilitate ciuitatis tuæ, ex finitimiſque, qui firmi, ſtabiles, conſtantes, futuri ſint, quorumque vita omni ex parte probata ſit. Neque enim tam turpe principi eſt, nec tam periculoſum pecuniis carere, quam amicis. Verũ profecto illud Cyri ad Cambyſem eſt, non tam aureum ſceptrum ſalutem atque tutelam pręſtare regibus, quam bonorum amicorum copiam: Non eos dico amicos, qui voluptatum inſtrumenta ſunt, quique merito omnium ſeruorũ turpiſſimi ſunt vernæ. Prius autem ſcrutabere ex Iſocratis ſententia, qualis ij, quos in amicos recepturus es, exiſtimationis ſint apud bonos & rerum humanarũ gnaros: Nam eius ingenij perfacile iudicabere, cuius fuerint illi quos familiaritate & amicitia iunctos habebis. Quod ſi boni erunt, quæ per te geri in republ. non poterunt, horum

Damon. *Pythias.* *Cyrus.* *Cambyſes.*

 inte-

integritati tutiſſime committentur: Sin mali in te vnũ omnis culpa vertetur, cũ in tua fuerit poteſtate, bonos aut malos & pernicioſos eliges: Doctos, an ignaros rerum omnium: Parum ne profuiſſe Scipioni in tantis rebus geſtis, Lælij ſapientis amicitiam putas? Quid quod vitam, nedum facultates pro amico, vbi opus eſt, effundunt? Supereſſe Lucullo ab Antonio interempto. M. Volunius noluit: Idem fecit. L. Petronius Ælio amico optimo à Cinnanis militibus Placẽtiæ interfecto. Sed quoniã ex nobilitate dixi eligendos eſſe, quos in amicitiam reciperes, quæ ſit vera nobilitas inſpiciamus.

Scipio. *Lælius.* *Lucullus.* *M. Volunius.* *L. Petronius.* *Ælius.*

De Nobilibus amicitia Principum dignis.

CAP. VII.

SINGVLOS libros de nobilitate Ariſtotelem & Metrodorum Philoſophos inſignes ſcripſiſſe conſtat, tanti fecere hoc genus hominũ, quo nullum

Ariſtoteles. *Metrodorus.*

 118

nullum poteſt eſſe pręſtantius & vtilius, maxime vero ſi generoſitatis nomen vſu & exercitatione virtutis comparatum fuerit: Miror Ariſtotelem ipſum hominem ſapientiſſimũ, in Politico ſuo eos nobiles ſibi videri dixiſſe, quorum maiores virtute & diuitijs præditi fuiſſent, cum vera nobilitas non aliunde, ſed ex homine ipſo, hoc eſt ex virtute tãtum ducatur: Hac ratione nobiles eſſent piratæ, latrones, fœneratores, qui ex alieno, non induſtria ſed rapinis parto cenſum augent. Diuites enim vt ait Hieronymus, aut iniqui ſunt, aut iniquorũ heredes: Quid ſi ne ij quidẽ nobilitatis nomen merentur, qui ex claris ſunt orti maioribus? Scribẽs ad Q. fratrem, Cicero de petitione conſulatus, cum de Anton. & Catilina competitoribus loqueretur, nequaquã ſunt inquit, tam genere inſignes, quam vitijs nobiles. Eſt enim nobilitas ſecũdum Stoicos ſplendor quidam ex propria virtute proueni- *Hieron.*

ens, cui omnis palma generoſitatis tribuẽda eſt: Atqui in deſidia collocaſſe nobilitatem videntur, vt Neapolitani ſubſelliorum ordinẽ iactantes, & quidam ex noſtratibus comã bene pexi, accipitrem nobilitatis inſigne, vt ipſi putant, circumferentes, vehementer errant. Labore enim & induſtria illa quam quærimus nobilitas paratur, non aureis calcaribus, cinguloue croceo. Donabãtur olim equites Romani ob rem in bello egregie geſtam annulo, fibula, & armilla aurea, virtutis nõ autem ignauiæ monumenta & pignora. Quid aliud aguntij, quos ætate noſtra relatos in hunc ordinem videmus, quam vt aurũ in veſtibus & balteo relucens circumferant, non tãquam nobiles, ſed argentarij quidã? Ex animo enim oritur nõ ex auro generoſitatis ſplẽdor: Iactare item res geſtas maiorũ, ãtria imaginibus referta, porticus ſignis ac tabulis ornatas, villas, ædes conſtructas oſtentare, plus admira-
tionis

tionis, quam nobilitatis præ ſe fert: Eruntt heatra, porticus, phana nobis adiumento, ſi maiorum noſtrorũ virtutem, & animi præſtantiam imitati fuerimus, ſin ſecus dedecori ac turpitudini: Irridens huiuſcemodi nobilitatem ſine virtute Diogenes ille Cynicus, maliciæ & ignauiæ velamẽ eſſe dicebat: M. Catonem priſcum illum quem cenſorium vocarunt, non genus, nõ diuitiæ (Thuſculi enim natus eſt, obſcuro genere, tenui cenſu) ſed eximiæ pulcherrimæque virtutes nobilitarunt: C. item Marius Arpinas ruſticanus homo ignotus, vtpote inter gregarios militans, ſola virtute & rebus geſtis nobilitatem conſequutus eſt: Idem dici de Sertorio & Ventidio Baſſo, ac Seruio Tullio poteſt: Nobilitatem quadrifariam diuidit Plato: Primam eſſe ait eorum qui claris, bonis, iuſtiſque parentibus ſunt orti: Secundam eorum, quorum parentes principes extitere: Tertiam cum noſtri maiores

Diogenes. Cynicus. *M. Cato.* *C. Marius.* *Sertorius.* *Ventidius Baſſus.* *Ser. Tullius.* *Plato.*

ſama, & rebus bello geſtis, vel publicis certaminibus parta corona claruerunt, Quartam eorum, qui præclara aliqua doctrina, & animi magnitudine excellūt: Hos vt vere nobiles cęteris anteponit. Horum conſuetudinē amauit & Mitridates Rex Ponti, & Ptolemæus Philadelphus, qui Demetrium Phalereum in familiarem recepit, ac bibliothecæ ſuæ præpoſuit: M. Varronis & Tucæ, familiaritate delectatus eſt Auguſtus, Plutarchi Philoſophi Traianus, Vulpiani Alexander Aurelius: Poſſidonij Scipio Aphricanus: Platonē Antiſthenes ſequutus in hac opinione prę ſertim; in pluribus enim Philoſopho aduerſatus eſt, ſcripſit eoſdem ſibi videri nobiles, & virtutis ſtudioſos, in ſola virtute nobilitatem conſtituens. Idem ſentit Cicero & Seneca ex Stoicorū ſecta Philoſophus inſignis: Ad Lucillū enim ſcribens: Non fuit inquit Socrates patricius, non eques. Roman. hunc tamen &

Plato-

Platonem Philoſophia non accepit, ſed nobiles fecit. Non eſt profectò alius alio nobilior: Si ad primam originem vtpote ad Deos reuocemur, vnde nati ſumus, ſed differre homines inter ſe faciunt virtutes & vitia, cum ex ſeruis Reges fieri plerunque, vt ait Plato, videamus, ex Regibus itẽ ſeruos: Sola enim virtus eſt quæ nobiles facit, quæque poſteros in nobilitate retinet: Ex his igitur, vt ex generoſa ſtirpe, tibi amicos delige, quorum opera & præſentia, ad virtutem & gloriam excitêre.

Contra Aſſentatores.

Cap. VIII.

At vero quoniam ijs quos altius fortuna euexit, nulla maior peſtis adhiberi poteſt adulatione, blanditijs, aſſentatione. Leuiũ hominum atq; fallaciũ, ad voluptatẽ omnia loquẽtium, nil ad veritatem, eos abs te remouebis, qui ſtatim quodcunque dixeris feceriſve, ſine diſcrimine laudant, & aſſentando extollunt: Vultũ

M.Tullius. enim vt ait M. Tullius, & nutum, nõ autem mentem & voluntatem obſeruant: Aſtat turba Gnatonum, ait, quis, aiũt: negat quis, negant, is quæſtus apud quoſdã principes eſt multo vberrimus, ſed hoc facit aſſentatio pernitioſa, vt cum poſtea verum dicatur, id audire cum magno ſuo malo nolint principes: Illo enim veneno imbuti, cum ſe pluſquam cęteris ſapere arbitrantur, aliorum conſilia & rectam ſententiam contemnunt: Coruis vt aiunt oculos etiam in vita præbentes: Aſtant illi, aſſentãtur, adſident, mirantur, nec verbum vllum effers quod non ponderetur, faciat ne ad eorum lucrum. Quid quod & affectus animi quæſtus gratia inuertunt? rides, maiore cachinno cõcutitur, flet ſi lachrymas conſpexit amici: Nec mirum id quidem, cum adulatores omnes ſeruiles, ſordidi, & Ariſtot. humiles ſint, vt Ariſtoteli placet: Tu vero vt optimum principem decet, animum ab his illecebris reuocans

ex

ex ſentẽtia Thaletis Mileſij teipſum cognoſce: Hac enim ratione facillime intelliges, verum ne ſit an falſum quod de te prædicatur. Hos igitur vt pernitioſos homines longe ab te remoue, & illos potius amplectere, qui cum erraueris, monere te prudẽter & modeſte audent. Hac libertate loquendi fiet, vt ſi quando quicquã in conſultationem venerit, habeas qui tibi intrepide ſententiam explicent, hos preterea ſi dignis honoribus pro meritis afficies, adulatores ipſos ignominia notatos in malam rem abiges, cum bonos & veros amicos apud te locum habere comprehenderint.

Contra Delatores & Maledicos.

Cap. IX.

Eisdem ferme artibus vtâre oportet contra delatores & maledicos, hominum genus peſtiferum & execrandum, bonis pernicioſum: Priuant enim homines non fortunis modo, verum etiam vita. Hac in re

optimus ego ſum teſtis, qui iſtorum fallacijs & maledicentia in maximũ diſcrimen adductus ſum: Euaſi tamẽ innocentia mea & integritate animi fretus: Hæc monſtra Scylla, Charybdi, Hydra, Sphinge, Cyclopibus, Læſtrygonibus nequaquã mitiora ſunt: Inſerunt ſeſe ſcelerati delatores in turbam hominũ, benigne alloquuntur, & tanquam aucupes verbis quibuſdam homines in eos ſermones alliciunt, vnde calumniæ colligi poſſint. Quid quiſque dixerit obſeruãt, nonnulla ſponte ſciſcitantur veluti ignari rerum, quo mentes hominum & cõſilia exactius percipiãt, ac principibus referant, culpant quos volunt: Fingunt interdum multa: Moliri aliquid magnum in principem aſſerunt, arguunt proditionis, vel diuites vnde quadruplum habeant, vel optimum quemque, quo ipſi maiore ſint in pretio: Hinc principum ſimultates, hinc odia, hinc exilia, hinc tormenta, ſupplicia, cędes, rapinę ex damna-

damnatorum bonis, hinc poſtremo vrbium interitus, & bonorũ omniũ calamitas: Quid quod hoc venenum ita commodè auribus principum inſtillant delatores, vt bonos etiam quoſdam ad maleficium impellant: Audiunt accedentes, & quia omnia videre non licet, niſi caute egerint, & callide, multa credant, & ob hanc rem in maximos errores perſæpe dilabũtur iſtorum fallacijs. Apud Hadrianum Imperatorem, alioquin bonum principem, adeo valuêre delatorum voces, vt quoſdam amicos ad dignitatem antea euectos hoſtium loco habuerit. Sed nihil eſt quod æque grauiter ferant delatores, quam viros eruditione & doctrina inſignes apud principes in pretio eſſe: horum virtutem & integritatẽ veriti, quod ad præcauenda omnia, cæteris ſint aptiores. Hinc eſt quod Dionyſius Iunior accitum Platonem doctrinæ gratia, cõcitato poſtea à delatoribus odio, diuinum hominem vendidit. *Hadrianus.* *Dionyſius.* *Plato.*

Xenonem Philoſophum ſenem admodum Phalaris tyrānus omni cruciatus genere dilacerauit. Mori à ciuibus ſuis coactus eſt Socrates malorum calumnijs. Vir doctiſſimus atque innocentiſſimis Boëtius Theodorici Regis iuſſu, inſtantibus delatoribus, vita priuatus eſt. Domitianus Ang. inter imperij monſtra connumeratus, hac in re ſolū reſipiſcere viſus eſt, quod delatores contempſerit, & ab vrbe expulerit, hanc vocem frequenter vſurpans: Delatores qui nō caſtigat, irritat. Quales igitur exiſtimādi ſunt ij, quos etiam ſceleſtus Imperator odit? Non hercle tot clades flammas ætneas intuliſſe Siculis crediderim, quot orbi terrarum delatorum funeſtus ignis: Contra ſuperbos, iracundos, violentos, fures, prædones, ſicarios, inuidos, ſunt nobis inuenta remedia, cōtra hos verò nullum; cum verſuti, vafri, ſubdoli, & fallaces ſint, ac prius te opprimant, quam tale aliquid tibi euenturum

ſuſpi-

 124

ſuſpicari poſſis: Quis locus innocentiæ, vbi iſti regnant? qui feris peiores ſunt, cum ſocietatem humanã maledicentia tollant: Quæ Mægæra, quæ Tiſiphone, quæ Alecto magis vmbras apud inferos torqueat, quam ij rabidi & famelici canes ad ſuperos nos vexant? Detrahere enim vt ait Cicero aliquid alteri, & hominẽ hominis incommodo ſuum augere cõmodum, magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera quæ poſſint aut corpori accidere, aut rebus externis: Contẽnendi ergo & pellendi ij ſunt, vt ſacrilegi & pernicioſi, vt furiæ Phlegetontis, & quid quiſque dicat conſiderandum, de quibuſve dicat: Quod ſi compertum habueris horũ quempiam in alios falſa machinatũ, eundem tu ea pœna afficies, quam obiecti criminis conuictus meniſſet.

Magæra. Tiſiphone. Alecto.

Caueant

Caueant à Solitudine Principes.

CAP. X.

HORVM autem criminum quæ paulo ante propoſui, ſolitudo quorundam principum in cauſa eſt: Hos enim veluti cuniculos cubilib⁹ incluſos multa ignorare oportet, cũ nec ipſi in publicũ niſi raro prodeãt, nec accedentes admittãt, ſeruorum ambitione & fraude retenti, ne ſi ſui copiam fecerint principes, vel eorũ fraudes retegãtur, vel leuior fiat auctoritas: Quam vero importuni, cõtumelioſi, proterui, contumaces ſint principum ſerui ex infima hominũ ſorte electi, non attinet dicere: Accedentes enim ad principem, nõ niſi contumelia prius laceratos admittunt, & admiſſis ſuperbe reſpondẽt: Sed hæc omnis acerbitas in caput principum ſtatim retorquetur: Cõſenſu enim dominorũ, nõ ſeruorum improbitate id fieri accedentes arbitrantur, hinc venena, hinc arma parantur, hinc ſeditiones & diſcordiæ in

125

diæ in ciuitatibus ob indignitatē rei oriuntur: Cum Hadrianus vidiſſet vnū ex ſeruis ſuis inter Senatores ambulantem, cædi eum, & redigi in ordinē iuſſit, his verbis increpans. Noli cum his pariter ambulare, quorum ſeruus eſſe nequaquam mereris: Volunt nequā iſti magni videri, & ex ea re quæſtum facere: Sed bene ab Alexandro Imp. Ro. factum eſt, qui Turinum in foro tranſitorio ad palum alligatum necari iuſſit, quod fumum vendiderat, præcone clamāte, fumo punitur, qui fumum vendidit: Quis in odium populi Rom. ac gentium omnium adduxit Claudium? Serui nequā, improbi, auari, ac voraces: Quis C. Caligulam? Serui, quis Neronem? Serui, quis Domitianū? Serui, quis demum omnes flagitioſos principes? Serui. Horū enim intereſt ad impunitatem & licentiā peccādi principes domi tanquam in ergaſtulis cōtinere. Sed quantum principibus ipſis iſta ſolitudo noceat, vide.

Hadrianus. *Alex. Imp. Rom. Turin.* *Claudius.* *C. Caligul.* *Nero.* *Domitian.*

Omit-

Omitto quod nimio otio & laſciuia emollitur, cum opus fuerit, & lucem & ſolem tanquam talpæ refugiunt: Illud dico hanc deſidiam multis exitio fuiſſe, maxime vero barbarorum regibus qui perraro aut ſemel in anno cernuntur: Fratrem Cambyſis, Mergidem obtruncauit Magus, proque eo fratrẽ Oropaſtum ſubrogat, mentituſque Mergidem eſſe, regnũ Perſarum occupat, fieri hoc perfacile potuit, quia reges eorum raro in publico prodeunt: Tandẽ vero fraude ꝑ pellicis proditionem comperta, cum Oropaſto Magus opprimitur. Male enim agere in illa ſolitudine, cum nihil agant principes, neceſſe eſt, aut ſaltem ſine corde viuant. Laudarem ego eorum quietem & otium: Si Scipionem Aphricanũ imitati, ſolitudine ad cogitandum, non ad voluptatem, vt hodie fit, vterẽtur: Eum enim dicere ſolitũ accepimus, nunquam ſe minus otioſum eſſe, quã cum otioſus, neq; minus ſolum, quã

Cambyſes. *Mergis, Magus.* *Oropaſtus.* *Scipio Aphricanus.*

cùm ſolus eſſet. Fac igitur vt ciuibus tuis & amicis, quibus certe quã ſeruis carior es, ad te, opportune tamé, pateat aditus: Volo dignitatem ſerues & grauitatem, ne vt ait Comicus, nimia familiaritas contemptum pariat: Sed vna ratione apud omnes de amplitudine tua, magnam concitabis opinionem, quæ te facile à cõtemptu tuebitur, ſi te pie, iuſte, prudenter, ac modeſte viuere intellexerint. Comicus. 126

De Comitate & Humanitate Principis.

Cap. XI.

VERVM eſt illud, quod Cyrum dixiſſe aiunt, iucundiora multo acceptioraque hominibus videri in principe humanitatis quam belli opera. Bella enim plurimum mali intuliſſe mortalibus, humanitatem vero plura bona importare, quam ipſe perpetuo conſtanterq; retinuit, maxime vero eo tempore, quo ob inopiam rei familiaris liberalitate erga

ſuos vti non potuit: Scribens ad Q. fratrem Cicero eum admonet, vt in gubernanda prouincia, ante omnia facilitate vtatur in adeundo: Lenitate in reſpondendo: Nihil eſt enim ꝙ æque principem charum omnibus & popularem faciat, quam ipſa comitas, cui certe bonitas, liberalitas, amicitia connexę ſunt, quibus ex rebus maxime cōciliari hominum beneuolentia ſolet, vt contra duritate & acerbitate amittitur. Admonet Philippus Alexandrum: Antipater Caſſandrum, Antigonus Philippum filiũ, vt benignitate & lenitate multitudinis animos ad beneuolentiam alliciant: Non erit præterea à principe alienum, ſi aut ipſe ad imitationé C. Cæſaris amicos & ciues in conuiuium adhibeat, aut illorum menſas inuitatus non aſpernetur interdum. Laudat commeſſationes publicas ad conciliandum hominum beneuolétiam interſe Plato, cuius præcepta imitati plerique principũ, adeo multitudi-

titudinem hac comitate deliniuêre, Vt eam quo voluerint poſtea traduxerint: His rationibus fit, vt non armis, non ſatellitibus, non excubijs & cuſtodibus indigeant, beneuolentia & caritate ciuium muniti principes. Quod contra euenire ſolet, ſi cõtumaciter, ſuperbe, arroganter, contumelioſe ſuos repulerint. Laudatur & merito quidem. Aug. Cæſaris principatus, quod in conuiuijs, Theatris, porticibus, ludis, mira comitate erga omnes ſit vſus. Dixit ipſe ſcommata animi gratia, & patienter ab alijs audiuit. Porrigentem literas timide nimium ob maieſtatem Imperij, his verbis ſale & facetijs plenis hortatus eſt. Nunquid Elephanto te aſſem porrigere exiſtimas, porrexit ille liberius cognita principis manſuetudine. Tanta fuit comitas in Antonino Pio principe Rom. vt etiam cum amicis more maiorum vindemias celebraret. Titi fuit illa diuina vox & Imperatore digna. Velle ſe ta-

lē priuatis exhibere, quales ſibi priuato eos habere cuperet. Vt enim nihil pernicioſius eſt quam odio haberi, ita nihil vtilius quam diligi & amari, quod humanitate, lenitate, facilitate mirifice comparatur. Nam vt ſuperbia regna labefactat, ita humanitas labefactata firmat, & hominum contumaciam ita interdū frangit, vt quoquo velit impellat. Blande & poſt iniurias acceptas tumultuantem populum & ſeditioſum Moyſes appellabat, in laboribus conſolabatur, delinibat oraculis, fouebat operibus, & ob eam rem poſtea ſupra omnes homines ſapere exiſtimatus eſt. His enim artibus totius plebis mentes adeo ſibi deuinxerat, vt eius amplitudinem māſuetudinis gratia plus diligerent, quam pro rebus geſtis admirarentur. Huius imitator Dauid rex, ob placabilitatem iuuenis etiam ad regendam plebem ab omnibus electus eſt, adeo vt parentes cū filijs ſuis, filij parentibus in amore præfer-

128

præferrẽt, cum ad vtilitatem hominum potius, quam dominandi cupiditate ſumpſiſſe regnum videretur. Nam tumultuante populo cædem veritus ob ſæuitiam Saul maluit in Hebron exulare, quã regnare Hieroſolymis, tanti faciebat populi ſalutem, cuius gratia regna & principatus ſunt inſtituti: Quantũ vero principibus ſuperbia obſit. M. Druſi tribuni Pl. impotentiam reſpice, qui L. Philippo Conſuli, quod ſe concionantem interpellauerat, adeo collũ intorſit, vt multus è naribus eius cruor eruperit: Idem cum Senatus ad eũ mitteret, vt in curiam veniret: Quare non potius ipſe inquit in curiam Hoſtiliam propinquam roſtris, ideſt ad me, venit? Nollem hoc accidiſſe Pompeio, qui è balneo egreſſus Nypſeum amicum ambitus reum, iacẽtem humi ante pedes eius contumelioſa & inhumana voce præterijt: Nil aliud agere Nypſeum dicẽs, quã vt conuiuium ſuum moraretur. Xer-

xes ille Rex Perſarum bellum Græciæ illaturus, conuocatis Aſiæ principibus. Vos inquit congregaui, ne meo tantum vſus cõſilio viderer, ſed mementote parendum vobis nõ ſuadendum eſſe. Hannibal Cannenſi victoria elatus nullum ſuorum ciuium in caſtra admiſit, nec vlli niſi per interpretem reſponſum dedit. Qua elatione factum eſt, cum antea blande omnes vltro appellaret, vt vna cũ facilitate fortuna belli mutaretur. Tu itaque bonos principes imitatus facile aditum accedentibus præſta, loquentes benigne audi, interrogãtibus reſponde, petentibus honeſta præſertim, obtempera, illius diuini dicti memor: Nõ oportere quempiã à vultu principis triſtem diſcedere.

De Maieſtate & felicitate Principis.
CAP. XII.

HVIC tamen facilitati adiuncta ſit maieſtas in principe neceſſe eſt, propter temeritatem & ambitionem

nem

nem quorundam, omnia ſibi licere ſine diſcrimine arbitrantium. Hos vt appetitu & cupiditate omnia metientes, facillime propellet principis maieſtas, ſi in eo fuerint ea quæ in optimo quoque eſſe debent. Habere namque facultatem imperandi non debet, qui nõ didicit prius qua id ratione fiat. Hoc autem comparatur ſtudio, diligẽtia, doctrina, vſu: Vt intelligas principem non ad otium, ſed ad negotium, nõ ad ſomnum ſed ad vigilantiam, non ad voluptatem, ſed ad modeſtiam, ac cæteras animi virtutes ſpectare oportere: Facile enim contemnuntur, qui nihil virtutis, nihil animi, nihil neruorum habent, quique nec ſibi nec alteri proſunt, vt dicitur, contra vero in admiratione omnium ſunt, qui anteire cæteros virtute putantur, atque ijs vitijs carere quibus alij nõ facile poſſunt obſiſtere. Hos admirantur populi, hos amant, hos colũt vt Deos, fieri enim non poteſt, vt eum contemnam, quẽ

video eniti, curare, vt omnes quam beatiſſime viuant. Nam qui dat operam vt ex æquo & bono ſuum quiſq; teneat, quique omni diligētia, & ſtudio curat, vt ſua ciuitas moribus, induſtria, facultatibus, gloria augeatur, is nimirum admiratione omniū & laude dignus eſt. Graue enim pondus eſt quod principes humeris ſuſtinent, videlicet florentem ſecunda fortuna ciuitatem cōſeruare, & eiuſdem calamitates atque pericula aut propulſare, aut certe minuere. Hanc ob rem fuēre qui hos ſemideos appellarent, honores eorum, opes, gloriam, potentiam intuentes. Quid enim vtilius dari nobis poteſt? Quid fructuoſius humano generi? Quid ꝙ hominem feliciorem & Deo, quoad fieri poteſt, magis ſimilē faciat? quā omnia prudenter ac modeſte agere, iuſtitiam colere, liberalitate vti, protegere oppreſſos, afflictos ad meliorē ſpem erigere, ægris ſubuenire, opem amicis ferre, pręmia virtuti tribuere,

prodeſſe quamplurimis. Huius certe maieſtas, non vallo, non foſſa, nõ ſatellite, ſed propria virtute nitẽs vbique tuta eſt. Cum Metellus repetundarum accuſatus, cauſam diceret, & tabulæ adminiſtrationis inſpiciendæ, iudicibus traderentur, auertêre omnes oculos, indignum rati chartæ, non integritati eius fidem præſtari, cui Po. Ro. tantam prouinciam commiſiſſet: Valet & maieſtas principum apud hoſtes, nedũ ciues. Antiochus enim filium regijs muneribus donatum Aphricano remiſit. Ad hunc quoque viſendum cum plures prædones Linternum veniſſent, poſitis armis virtutis eius admiratores, non hoſtes acceſſiſſe dixerunt, quibus Aphricanus facilem ſe præbuit. At illi venerati limen domus tanquã aram & Deos, oſculata manu Scipionis, poſitis ante veſtibulum donis lęti diſceſſerunt. Cymber quidam ex ijs quos Marius vicerat miſſus Minturnas ad eum iugulandum & quidẽ

Metellus.

Antiochus

Aphricanus

Marius.

ſenem atque inermem amplitudine viri perterritus, nõ potuit eum accedere atque ita re infecta inde abijt. Tantum valuit maieſtas & hominis ruſticani dignitas, ex animo eius potius quam ex corpore ducta. Conſtat enim Marium & varicoſum & ruſticioris fuiſſe, quare animi eius tota illa laus eſt, quæ ei à Cicerone tribuitur: Vidimus inquit C. Marium qui mihi ſecundis in rebus vnus ex fortunatis hominibus, in aduerſis vnus ex ſummis viris videbatur eſſe, facit & ſpecies corporis ad maieſtatem & fœlicitatem principis, ex Porphirij ſententia: Prima ſpecies digna eſt imperio, ſed vera pulchritudo in animis, non in corporibus principum eſt: Altero oculo priuatus erat Antigonus Rex: altero Philippus, altero Hannibal, qui plura prope in gubernandis regnis videre, quam qui duobus oculis cernunt. Cũ Seuerus Imperator podagra laboraret, milites Baſſianum Cæſarem creauêre quaſi

orphirius.

era pul-ritudo.

ntigonus.

hilippus.

annibal.

euerus.

aſſianus.

manca

manca republ. Indignatus Seuerus in auctores animaduerti iuſſit, denique multis deprecantibus placatus, reſpondit: Diſcetis tãdem caput imperare nõ pedes. Lacedęmonij quoque bello Peloponeſiaco, Ageſilaũ *Ageſilaus.* altero pede claudum Regem creauerunt: malentes ipſum Regem quã remp. claudicare. Ciuitatum enim felicitas ex animis principum, nõ ex corporibus oritur. Idem etiã de maieſtate dici poteſt: Quam Po. Rom. tanti fecit, vt & hoc crimẽ par ſacrilegio faceret, & in quæſtionibus læſę maieſtatis noluerit etiam mulieres audiri. Nam Sergij Catilinæ coniu- *Catilina.* rationẽ Fuluia mulier detexit, & M. *Fuluia.* Tullium conſulem iudicio inſtruxit. *M.Tullius.* At tu, cuiꝰ maiores virtute, humanitate, clementia, rebus præclarè geſtis hunc principatum tibi in beneuolẽtia & caritate ciuium fundauerũt, ſi voles (velle autem debebis) facillime tuebere, cum ciues habiturus ſis ob modeſtiam & manſuetudi-

nem tibi magis obſequentes, quam quæuis bene morata domus patrifamilias. Aliarum enim vrbium, noſtrę prouincię pace dixerim, nullam eſſe ciuitatem, in qua mitiores ciues, & magis ad concordiam ſpectent, quã tui: Quorum egregia volũtas & ſpectata in aduerſis fides tibi cara eſſe debebit. His enim adminiculis & dignitatem & maieſtatem principatus facilę tuebere.

De Infelicitate Principum.

CAP. XIII.

INTERROGATVS Socrates num Perſarum Regem felicem putaret, felix inquit fortaſſe, id tamẽ affirmare non auſum, quia eius mẽtem nondum noui, in qua ſolida & vna felicitas conſiſtit ex operatione animi ſecundum virtutem in vita perfecta; Nam qui bonis fauet, qui virtutem colit, quiq; poteſtate optime vtitur, nõ ſemel ſed perpetuo, is merito felix & beatus dici poteſt. At vero quoniã ſtultitia, noſtræ infelicitatis maxima

xima pars, lõge ac late vagatur, fieri vix poteſt, vt qui poteſtatẽ & impunitatem peccandi adepti ſunt, in officio viuant. Mortuo Auguſt. Cæſar. ſuadebãt amici Tiberio, vt oblatum à Senatu imperium ſumeret: Tum ille contabundus, neſcitis, inquit, amici quanta belua ſit imperium, ex animo ne, an ſecus loquutus ſit, non auſim affirmare. Vox illa tamen non hominis, ſed oraculi cuiuſdam approbatiſſimi viſa eſt. Omiſſo Rom. Imperio Diocletianus apud Salonas animi gratia hortos colebat. Inſtantibus autem amicis, potiſſimum vero Maximiano, vt imperium repeteret: Nũquam iſtud ſuaderetis, ait, amici, ſi teneretis quam ſuauiter fruar his oleribus, quę ſerui: Ite & ſine me hũc honorem gerite, nam mihi nihil difficilius videtur, quam bene imperare, in tãta malorum turba, quę principem, vt ante dixi, adulationibus, & quouis genere blãditiarum circumſtat: Si qua enim iucũditas, ſi qua oblecta-

Auguſtus. *Tiberius.* *Diocletian.*

lectatio, ſi quies, ſi voluptas in principatu eſt, eam illi decerpunt, qui apud principem malorum omnium ſunt inſtrumenta, ipſi vero principi ſimultates, odia, inimicitias, tãquam putamina quædam relinquunt. Verum eſt enim quod apud neſcio quẽ legiſſe me memini, principum vitam ſine virtute, ſine ſolertia, ſine induſtria, ſine vigilantia, & perſpicacia animi, tragœdiam quandam eſſe plenã miſeriæ: Quippe in qua varij ſint caſus, dubius principatus, inſtabilis fortuna, anceps conſiliorũ euentus, adulatorum fraus, amicorum ambitio, domeſticorum proditiones, inſidiæ filiorum, vxorũ perfidia, incerta fratrum voluntas, dubia multitudinis fides, leuitas vulgi, bellorum incertus euentus, pax ſuſpecta, hinc odia & mutuæ cædes oriuntur: Artaxerxes Perſarum Rex, cum viuens Darium filium per indulgẽtiam donatis imperij inſignib⁹ ſibi ſubſtituiſſet, eundem poſtea cum quinquaginta

[A]rtaxerxes. *[D]arius.*

ginta ex fratribus occidi iuſſit: Xerxem Perſarum Regem bello aduerſus Græciam ob ſtultitiam & ignauiam infeliciter geſto, in patriam reuerſum Artabanus pręfectus interemit: Rex Ægypti Ptolomæus, crudelitate inſignis, cum timeret ne populus maiorem natu regno præficeret filium, necauit. Alterumquoque filium iuniorē ex Cleopatra vxore eademq; ſorore genitum, die natali in partes diſcerptū inter epulas Cleopatrę obtulit. Ij ſunt qui ad magiſtratum ſine vlla virtute aſciti in omnes paſſim nullo diſcrimine ſæuiūt: Merito igitur hos infelices appellabimus, quorum capitibus ob ſæuitiam tot pericula imminent. Omitto ſempiternam ignominiā qua inuſti, dum grande aliquod ſcelus narratur, circumferūtur cum execratione & maledictis: Horum & Damoclis vita, in regia Sella à Dionyſio collocati imminēte ſupra caput enſe tenuiſſimo filo appenſo, omnino perſimilis eſt, cum

Cleopatra.

Damoclis.
Dionyſius.

cum non vnum hominem tãtum inſenſum habeant, ſed Deos, & totum humanũ genus: At tu maiorum tuorum clemẽtiam, humanitatem, gratiam imitatus, ita principatũ guberna, vt ſine vllo cuſtode paſſim & quieſcere & dormire tibi liceat.

Contra Ambitionem & Elationem.

Cap. XIV.

ET quoniam iſtorũ malorum quæ modo propoſui, magna ex parte ambitio & arrogãtia in cauſa eſt, nimia principatus appetitio, vnde grauiſſima mala oriũtur, compeſcenda erit. Iuſtitiã enim & fidem, è medio tollit nimia regnãdi cupiditas, vnde præclare ſcriptum eſt apud Platonẽ, *Plato.* ſimiliter facere eos qui inter ſe contenderent, vter potius remp. adminiſtraret, vt ſi nautæ in periculo certarẽt, qui eorum potiſſimum gubernaret. Quid ſi imperia non ſunt expetenda, vt ait Cicero, aut potius nõ accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam? Vel ſi tantum põdus

dus ſuſcipitur, omnis ambitio & arrogantia vitanda eſt, ne ſi elati videbimur ob delatos honores, beneuolentiam omnem ex animis hominũ abradamus: Quæ non minuenda faſtu, ſed augenda eſt clementia & humanitate. Extãt ad Auguſtũ ſenatus verba per virum Illuſtriſſimum Valerium Meſſalam, quod bonũ inquit fauſtumque ſit tibi domuique tuæ, Auguſte, ſenatus conſentiens cum Po. Ro. te patrem patriæ conſalutat. Hanc tam glorioſam ſalutationẽ nequaquam inſolenter accepit, ſed illacrymans ob pietatem & gratiã ſenatus erga ſe, reſpondit. Compos factus votorũ meorum P. C. quid hoc aliud quam Deos immortales precari vt cõſenſum noſtrũ ad vltimum vitæ finem mihi perferre liceat: De hac re ſcribens ad generum Auguſtus: Vides inquit mi Agrippa, cõmunem ſeniorum omnium conſenſum erga nos, tertium & ſexageſimũ annum euaſimus: Deos oro, vt quãtum

Auguſtus.
Valerius M
M. Agrippa.

tum mihi temporis ſupereſt, id ſalubriter ducere liceat in ſtatu reip. feliciſſimo: Hæc ſunt veri principis, nõ elati & ambitioſi verba, quis hũc nõ amet, nõ colat, nõ veneretur? Quid loquar de conſenſu omniũ erga Traianum principem? cui à S. P. Q. R. acclamatum eſt: Auguſto neminem vnquam feliciorem, nec Traiano fuiſſe meliorem. Multum etiam valuit in commendatione filij M. Antonini modeſtia. Hic enim quem facilius eſt, vt aiunt ſcriptores, mirari quam laudare filium ſenatui commendãs: Si vobis inquit & Dijs immortalibus dignus erit: Idem quoque tantæ virtutis princeps, vt & malos impulerit bonos fieri, & bonos optimos, mittebat exploratores per vrbem, qui referrent quid de ſe ſentient homines, & ſi quid vitij inerat id ſtatim emendabat: Huiuſcemodi viri etiam ſi recuſarent, ob communem vtilitatem ad principatum ſuſcipiendũ cogendi eſſent, cum eorum vita humano generi

Traianus.

M. Antonius Philoſophus.

generi tota ſine inuidia fructuoſa ſit. Præfecturam recuſabat Moyſes, at eam dominus ſuſcipere coëgit: Saul quoq; regni gubernacula abnuebat, at ſummittere collum iugo cogitur: Idem accidit Hieremiæ, quam diſſimilis fuit horum quos modo cõmemoraui Abſalon, Dauid regis filius, adoleſcens pulchritudine & forma inſignis: Hic enim cupiditate regnãdi elatus, viros multos cum equis & curribus parauit, qui ante ſe ipſum procurrerent. Mane in diluculo ſurgens ſtabat ante portam in via, & ſi quem regis iudicia quærẽtem animaduertiſſet, vnde eſſet, & quid cauſæ haberet, ſciſcitabatur, quærebatque omni ambitione, vt iuriſdictio ſibi committeretur, quo animos hominum ob regnandi cupiditátem ad ſe alliceret. Ad extremũ vero cum his artibus & largitione nil proficeret, patri arma palam intulit: Ad compeſcendam autem hanc immanem beluam, quę fratrem in fratrẽ armat,

filium in parentem, cognatos & affines inter ſeſe digladiari facit: Legem de ambitu, quæ poſtea amiſſa libertate reticuit, Romani veteres ſcripſere, qua ardor ille imperandi mẽtibus hominum inſitus comprimeretur, principatumq; obiret, qui ſciret cupiditatibus ſuis imperare, refrenare libidines, ſpernere voluptates, iracũdiam tenere, auaritiam coërcere, cæteraſq; animi labes repellere, reticuit poſtea hæc ſanctiſſima lex, cum ad vnum omnia translata eſſent.

Lex de ambitu.

De præmio Principis optime gubernantis Ciuitatem.

CAP. XV.

SI cuiuis bono de referenda gratia cogitandum eſt, non eſt fraudandus ſuo merito Princeps, non de vno tantũ, ſed de pluribus bene meritus. Huius autem præmium non erit aurum, non argentũ, non gemmæ, non puellæ captiuæ. Vt eſt apud Homerum, ſed vera & integra gloria, quæ

Homerus.

eſt,

eſt,vt ait M. Tullius, cōſentiens laus bonorum,incorrupta vox ben iudicantium excellente virtute: Quod aut frigora,calores,inedia,vigiliæ,boreſque cæteri non æque graues principi ſint, ac priuato viro, facit gloria ipſa,qua maxime principes alendi ſunt: Hinc trophæa, triumphi, ſtatuæ,coronæ, laudationes, tum in vita,tum in morte ſunt inuentæ: Addo etiam hiſtoriam,& poeſin, & muſicam,qua in cōuiuijs, ad Citharam heroum res præclaræ geſtæ canebātur, heroum dico,quorum tota vita in virtute & non in oſtentatione locata erat. Præclare, hercle; Socrates,hāc viam ad gloriam proximam & quaſi compendiariam dicebat: *Si quis id ageret,vt qualis haberi vellet, talis eſſet.* Quod ſi qui ſimulatione & inani oſtentatione,& ficto nō modo ſermone, ſed etiam vultu ſtabilē ſe gloriam conſequi poſſe rentur,vehementer errāt: Vera gloria radices agit,atque etiam propágatur,ficta o-

mnia celeriter tanquam floſculi decidunt, nec ſimulatum quicquã poteſt eſſe diuturnũ, teſtes ſunt Saturninus. Tr. Pl. Sp. Melius: Gracchi duo: M. Druſus, quorum vita tota in oſtentatione fundata erat. Aliud enim præſeferebant vultu, ac verbis. Aliud fixum in mente gerebant. Vera fuit gloria Lucij Bruti: Q. Fabij. Maximi: Pauli Æmylij. P. Scipionis, & ne externos reticeam Moyſeos: Ieſu Naue, Dauid, & Iudæ Maccabeorum ducis, qui nihil aliud cogitarunt in vita, nihil egerũt, niſi quod laudabile, & præclarum pro ſalute omniũ, & dignitate patriæ videretur: Pro qua bonus princeps, ſi opus fuerit nõ dubitet etiam mortem oppetere: Hic eſt vnicus principũ cibus, quo velim ita paſcare, vt nil amplius tibi in vita ſit requirendum.

De Ædibus Principum.

Cap. XVI.

Pertinere quoque ad maieſtatem principis crediderim, & laxius, &

us,& magnificentius, & in loco eminentiore habitare, nam ſi eius eſt, muros, naualia, portus, ductus acquarum, Theatra, Porticus, Pharia, omniaque omnino quæ ad communem vſum ciuitatis pertinẽt, ſtruere, quid eſt, cur ædes ſibi in edito & nobiliore loco ciuitatis quam magnificentiſſimas non ædificet, præſertim cum eo tanquam ad caput totius ciuitatis continuo eundum ſit. C. N. Octauio qui primus ex illa familia Coſ. factus eſt, honori fuiſſe, M. Tul. ait, quod præclarã ædificaſſet in palatio, & plenã dignitatis domũ, quæ cum vulgo viſeretur, ſuffragata domino, nouo homini ad conſulatum putabatur: Ornanda eſt item, vt idẽ ait, dignitas domo, non tota tamẽ ex domo quærenda, ne in cœmento & lapidibus veram gloriam repoſuiſſe videamur: Sit laxa & ampla, vt & priuati & publici hoſpites magnifice & honorificentiſſime ſuſcipi poſſint: Quod tui maiores ſemper fecêre, nõ

in vrbe tantum, ſed in agris quoq; & caſt[e]llis ſuis: In his tamen ſumptibus modus quidam tenendus eſt, ne aut auguſtius, aut vilius quam principẽ decet, velle habitare videâre. Regiæ domus ornatus ſecundum Homerũ nõ ex auro, ebore, argentove, ſed ex hoſtium ſpolijs peti debet: illa enim ornamenta deliciarum & muliebris laſciuiæ plena ſunt, à quibus rebus tanquam à Syreneis ſcopulis principem declinare oportet. Exornat, idẽ Homerus, mollis & effeminati Menelai domum ex animi ejus ſentẽtia: Deſcribit præterea ita ſapiẽter hortos Phæacum, Calypſus domum ac Circes, vt ex tam accurata pictura, mores quoq; incolentium compræhẽdi poſſent. Sint igitur ædes tuæ ita magnificæ & ſplendidæ, vt nil effeminatum, nil muliebre præ ſe ferant.

De cibo & ornatu Principum.

CAP. XVII.

QVÆRENS Lycurgus omnia quę ad mores Laconum pertinerẽt, primus

primus ex Creta, vel vt alij volunt ex Ionia Homeri poëſin in Græciam detulit, cuius exemplo tum multa, tũ conuiuia, quæ illi Philitias cœnas vocant, inſtituit, non diffluentes varietate & luxu, ſed modeſtia & mediocritate conditas: Victum cultumque corporis affirmans, non ad voluptatem, ſed ad valetudinem & vires referendum eſſe. Nam qui naturæ excellentiam & dignitatem cõſiderat, intelligit quam turpe ſit defluere luxuria, & delicate ac molliter viuere, quamque honeſtũ, parce, continenter, ſeuere ac ſobrie: In ea diſceptatione quam inter Alexandrũ & Diogenem ortam, ſcribit Dion, vexari homines ab aliquo quatuor Dæmonum oſtendit, quorum ſecundum illum appellat, qui voluptati ſacrificia defert, & Deã ipſam colit multiplicibus odoribus ac ſaporibus gaudẽtem: Hic Dæmon, auditu, guſtu, tactu, quouiſmodo poteſt, delectatur: Balnea frequentat, molles veſtes &

Alexander. Diogenes. Dion.

laboratos accubitus amat, muliebres amplexus expetit. Hæc Dea nimirũ eſt Circe, quæ ſocios vliſſis in porcos mutat, ij poſtea vt timidi & infracti animi, & publicis & priuatis in rebus inutiles ſunt. Seruãda igitur in victu cultuque corporis mediocritas eſt, ob modeſtiam & valitudinem: Qui enim fieri poteſt, vt delicijs aſſueti principes, cum opus eſt, famẽ, ſitim, frigora, æſtus & quæuis incommoda patiantur. Concidant animis & corporibus in quouis etiam paruo negotio, oportet, qui vel Sardanapalos, vel Antonios, vel Heliogabalos, vel Canacallas diffluentes libidine & luxuria imitantur. C. Cęſaris modeſtia & ſobrietas etiam ab hoſtibus laudatur. Hic enim in ordinanda ciuitate legem ſumptuariam tulit, ne ciuium mores nimio luxu corrumperentur. Videbat enim vir ſapiẽtiſſimus nihil eſſe quod animos hominum æque fatigaret quam libido, & circumſedentes vndique voluptates. Ab his i-

gitur

gitur vt ab improbis Dominis dedecoris & turpitudinis ſe vindicent optimi principes neceſſe eſt: Vt cum libidinibus ipſi parêre deſierint, imperare alijs merito videantur. Nihil eſt autem quod magis auctoritatem principis augeat, quam ſi oſtenderit ſe nil minus quam de voluptate cogitare, eius enim mens tota in virtute collocata eſſe debet. Cultũ tamen eius velim ſupra alios ciues eſſe auguſtiorem, ne quid maieſtati deſit. Ita enim ab alijs differre ornatu debet, vt dignitate diſtat: Solum Agamemnonem vtpote regem purpura ornauit Homerus. Vliſſẽ vna palla domo auecta induit: Paludamẽto & trabea vtebantur Imp. Rom. reliqui ciues, ſi domi toga, ſi foris, ſago cõtenti erãt: Supellectile quoque aurea, argentea peripetaſmatibus & aulæis pro dignitate vtatur.

Agamemn.

Homerus.

Imp. Rom.

De Somno Principum.

Cap. XVIII.

DORMIENDVM nõ eſſe niſi corporibus labore & ſollicitudine defatigatis ad recuperãdas vires Socrates dicebat. Et ſi cui parũ dormire licet, cui magis id conueniat, quam principi, non video, quem Homerus paſtorem populorum appellat. Idẽ quoque Agamemnonem dormientẽ excitans, non oportet inquit principem, cui tot populi commiſſi ſunt totam noctem dormire: Præterea ſi id faciendum eſt, noctu præſertim fiat, quæ mortales ad ſomnũ inuitat, quod obſcura, quod humida eſt, ꝙ ſtrepitu vacat, quodque & inactuoſa eſt: Neque quorundam principum faſtum & inſolentiam imitari debes, qui vt nihil habere videantur, quod eis cum populo cõueniat, intempeſtiuẽ omnia agunt: Vigilant enim cũ eſt dormiendum, viciſſimq; dormiunt cum vigilandũ eſt: Vbi quieſcẽdum proſtrepunt: Vbi agẽdum quieſcũt: Edunt quãdo dormiẽdum eſt: Dormiunt quando edendum, fabulanti

lanti aſſentatores & dicaces aſtant, quo tempus ipſum ſine moleſtia in deſidia tranſigāt. Hoc feciſſe Heliogabalum Imperatorem tradūt, ſi tamē eo nomine dignus fuit, cum maxima ſui ſæculi nota & infamia. Ariſtoteles vero in libro quem de moribus ſcripſit, bonos à malis, miſeros ab infelicibus in dimidio vitæ, propter ſomnum nihil differre oſtendit, cum felicitas principis in actione, nō autē in otio & ſomno conſiſtat: Vtendum igitur ſolertia eſt, & die non autem nocte ſi fieri poteſt, tranſigenda negotia ſunt.

De Ludo & Iocis Principum.

Cap. XIX.

Dicere de exercitatione principum nō eſt opus, cum tota eorum vita in actione repoſita ſit. Ludi vero maxime decentes, & liberales eiſdem, animi cauſa poſt cibum conceduntur, non vſq; adeo, ſed ad horas duas vel tres, donec prima concoctio fiat: Ludus ſit talus, teſſera, chartæ

chartæ varijs imaginibus pictæ, latronculi, ij noſtra appellatione, Scachi vocantur, qui ludus neſcio quid bellicum præſefert: Sed abſit inter ludendum omnis fraus & auaritia, qua fieri indecens ludus conſueuit, & ita interdum concitari ludētium animus, vt ex ludo ad conuitia & cōtumelias tranſeant: Omnem enim aleatorem mendacem, periurum, alieni appetentem, ſui prodigum eſſe oportet, qua ex re etiam in furta & rapinas paſſim dilabitur. Sūt qui tradant aleæ inuentionem Attalum fuiſſe, hos quanti fecerit Chilon Lacedæmonius audi: Is enim iungendæ ſocietatis cauſa Corinthum miſſus, cum principes ciuitatis in alea occupatos inueniſſet, infecto negotio redijt, dicens ſe nolle gloriam Spartanorum tum clareſcentem ea maculare infamia, vt diceretur Spartanos cum aleatoribus ſocietatem inijſſe. Iocus qui in verbis eſt, modo careat ſcurrilitate & ruſticitate, conditusque

tuſque

tuſque ſit facetijs & ſalibus inter amicos præſertim non erit improbãdus. Is enim iocus qui non illiberalis eſt, non mentem ſolum recreat, ac reficit, verum etiam ad dicendum & reſpondẽdum ingenium acuit. Aug. Cęſar, ſeruato ſemper maieſtatis pudore, iocis ipſis mire delectatus eſt, vt illud in Vatiniũ podagræ morbũ diſſimulare conãtem, aſſerentemq; ſe iam mille paſſus per diem ambulare. Minus inquit mirum eſt, cum iã dies longiuſculi eſſe incipiant: Nomenclatori cuidam obliuioſo in forũ ituro percontanti nunquid in foro agi vellet, commendatitias ait literas tecum perfer, notum enim ibi nullũ habes: Cum idem forum extrui iuſſiſſet, architecti tarditatem accuſans quod eodem tẽpore à Caſſio Seuero plurimi accuſati abſoluerentur: Vtinam inquit forum meum accuſaret Caſſius, citius enim abſolueretur. Sunt & alia quoque ab hoc atque ab alijs, itẽ Imperatoribus facete dicta, Caſſi.Se

quæ

quæ ingenue & liberaliter efferri poſſunt, ſi tempore & remiſſo fiant animo: Scurras gnatones & ſtultos, abs te omnino reijce, cum maieſtaté principis & obſcœnitate verborum & turpitudine indecentis motus, ac geſtus dedecorent: Quę potiſſimum ad ſolum principem pertinere mihi viſa ſunt, ſcripſiſſe hactenus ſat erit: Deinceps vero de officio Principis & populi ſimul dicatur.

Libri Primi Finis.

BAPTI-

BAPTISTÆ SACCI, PLATINÆ.

De Principe viro.

LIBER II.

De officio Principis & Populi.

CAP. I.

FIERI omnia fortuito & temere Democritum Philoſophum & eius imitatorem Epicurum aſſeruiſſe, mecũ ſæpe mirari ſoleo, & eo maxime quod intelligo ipſum Pythagoram vnde tot ſectæ Philoſophorum manarunt, Deos antea indubium vocaſſe: Hũc poſtea ſequutus eſt Diagoras atheos, qui omnino eos excluſit, ſponte omnia fieri confirmans: Sed quonam modo fieri poteſt, vt qui Philoſophiam profitentur in tantos tamq; manifeſtos errores incidant? cum eorũ proprium ſit, rerum cauſas & rationes afferre. Hinc ortæ ſunt variæ diſcep-

ſceptantium Scholæ, cum alij duo, alij tria, alij vnum, alij quatuor rerũ principia proponerent, in ijſque aſſerendis magnis voluminibus editis, concitatiſque varijs ſectis & hæreſibus totos conſumerent in diſceptatione dies, illud ſemper proponentes, nihil dici à Philoſopho incõcinnius, quam aliquid temere & ſine ratione fieri: Illud eſſe cõfugium ignorantiæ affirmantes, à quo veri Philoſophi, tanquam ab obſcuro carcere declinant. Malunt enim erratum ingenue fateri, quam ad ignorationis aſylum confugere: Quanto melius Stoici, qui vt in alijs cauſam proponunt, ſic quoque nec fieri mundum potuiſſe affirmant, nec conſtare poſſe, niſi ſumma ratione regeretur: Vnam mentẽ præeſſe mundo qua gubernẽtur omnia teſtatur Plato. Hũc ſequutus Maro tuus ita inquit:

Anima mũdi.

Principio cœlum & terras campoſq́; liquentes
Lucentemq́; globum Lunæ: titaniaq́; aſtra
Spiritus intus alit: totamq́; infuſa per artus
Mens agitat molem: & magno ſe corpore miſcet.

Maro.

Alibi

Alibi vero.

Deum namque ire per omnes

Terraſq; tractus maris Cœlumq; profundum.

Magna eſt profecto hæc Maronis laus, quod ipſe poeta plura prope quam hallucinantes illi Philoſophi viderit, & mundum ratione gubernari affirmauerit.

De Prudentia.

Cap. II.

AD hanc autem opinionem ſeſe vertens humanum genus, nihil agere ſine ratione vult, modo ſit aliqua prudentia imbutum, quæ eſt, vt ait Plato in legibus ſuis, cæterarum virtutum magiſtra: Hac qui munitus eſt, non vallo, non foſſa, non mœnibus indiget: vera eſt profecto illa Bionis ſententia, prudentiam ipſam tantum differre à cæteris virtutibus, quantum viſus à reliquis ſenſibus: Quid autẽ deeſſe poteſt homini in quo ſit prudẽtia ad bonorum & malorum delectum? Hæc enim ita ars viuendi eſt, vt medicina valetudinis, *Plato.* *Bion.*

G naui-

Satyrus. nauigationis gubernatio: Vnde à Satyro recte dictum eſt: Nullum numẽ abeſt, ſi ſit prudentia, ſed nos te facimus fortuna Deam, temploque locamus, quod non prudentia ſed ſtultitia & caſu viuimus: Vexatur ac merito quidem Theophraſtus in libris & ſcholis omnium Philiſophorum *Theophraſtus.* quod in Caliſthene ſuo illam laudauerit ſententiam, vitam regit fortuna. Negant enim ab illo Philoſopho quicquam dictum eſſe lãguidius, cũ conſtet & cœlum & homines ſapiẽtia regi, ſed quoniam apud Ciceronẽ ſapientiæ & prudentiæ nomina confundi legimus, quid inter ſe differãt videamus. Eſt autem ſapientia, vt veteribus Philoſophis placet, diuinarũ humanarumq; rerũ cognitio, quam qui aſpernatur, quid à brutis differat, non video, cũm ſapiẽtia ipſa ſit princeps virtutum omnium, & quidam quaſi irriguus fons, vnde omnes bene viuendi rationes manant. Hanc σοφίαν, græce vocant, vnde Philoſophi

Differentia inter Prudẽtiam & ſapientiam.

ſunt

ſunt nominati: In hac continentur, Deorum & hominum communitas & ſocietas inter ipſos: Hæc etſi maxima eſt, manca quodammodo habebitur, ſi nulla rerum actio ſubſequatur, quæ maxime in commodis hominum tuendis cernitur. Prudē- *Prudentia.* tiam tamē quam φρόνησιν vocāt, aliam quandam arbitrantur Eſt enim rerū expetendarum fugiendarumq; ſcientia: Verum ſi recte vtriuſque finē intueri volumus, parum admodum ea diſtare intelligemus, cùm & ſapientia ſine conſilio & prudentia recte haberi non poſſit, & prudentiam faciat ſapiētia, cum diuinarum humanarumque rerum cognitionem faciat ac afferat: Hinc orta eſt Platonis *Plato.* ingenij atque doctrinæ principis, diuina illa ſententia: Tum deniq; beatas fore reſpublicas, ſi aut docti & ſapientes, eas regere cepiſſent, aut ij qui regerent omne ſuum ſtudium, in doctrina & ſapientia collocaſſent: Hanc coniunctionem videlicet po-

teſtatis & ſapientiæ ſaluti cenſuit ciuitatibus eſſe poſſe, ſi is ſummam poteſtatẽ haberet, qui in doctrina, virtute, & prudentia, ſtudium omne ſuum poſuiſſet: Quales fuiſſe P. Scipionem Naticam. Q. Fabium Maximũ. T. Coruncanum. P. Scipionem. C. Lælium. M. Catonem in republ. Romana: Lycurgum Spartæ, Solonem Athenis, huic addo Socratem Appollinis oraculo ſapientiſſimum iudicatum, & Platonem eius diſcipulum: Pythagoras etiam qui primus Philoſophi nomen inuenit: Crotonem legibus optime inſtituit, viris enim fortitudinem propoſuit, mulieribus pudicitiam, & connubij fidem, pueris verecundiam, & literarum amorem, omnibus frugalitatis ſtudiũ. Thebanum quoque Epaminundam erudijt Lyſias Pythagoræus: Syracuſium Dionem Plato, multique multos, tantum valet ſapientiæ ſtudium. Quam Aphranius vſus eſſe memoriæque filiam aſſeruit, vt vſus me genuit,

nuit, mater memoria peperit: Sophiam vocant me Grai, vos ſapientiam. *Vir bonus.* Hac virtute bonos fieri homines q̄ maxime quęrimus, declarat. M. Varro, indoctum quendã repræhendẽs. Si quantum inquit operæ ſumpſiſti, vt tuus Piſtor bonum tibi faceret panem, eius duodecimam partem Philoſophiæ dediſſes, ipſe bonus iã pridem factus eſſes. Rogatus autẽ Ariſtoteles quo differrẽt docti ab indoctis, quo inquit viuentes à mortuis. Danda igitur opera Philoſophię eſt, qua nil optabilius, nil præſtãtius, nil melius homini eſſe poteſt, cum eius cuſtos & procuratrix ſit, ac naturæ comes & adiutrix. Vnde Gallorum & Germanorum principum vox illa deteſtanda eſt, qua imprudẽter quidem affirmant, non decere principẽ litteratum eſſe, cum Galli venationibus & ludis, Germani cõpotationibus & latrocinijs vacent, omiſſa omni vrbanitate & doctrina. Verum apud te plus valeat C.N. Pompeij. L.

Luculli. M. Bruti. M. Varronis. C. Cęſaris: Diui Auguſt. quam horum auctoritas, qui in maximis, tum domeſticis, tum bellicis occupationibus bonarum artium ſtudia nunquã intermiſère. Cato ille ſenex guſtata ſemel literarum dulcedine, non bello, non victorijs, non triumphi gloria diſtrahi à ſtudio potuit: Senior græcas literas didiciſſe fertur, libroſque de orginibus, de agna paſcenda, de agricultura tantis negotijs occupatus ſcripſit: Quia diſcere & ſcribere voluptas potius quã labor eſt. Eadem quoq; voluptate ductus C. Plinius ſecundus homo omnium laborioſiſſimus inter munera equeſtris militiæ, procurationeſque ſplendidiſſimas, adeo ſtudijs bonarum artiũ incubuit, vt non plura quis in otio quam ipſe inter tot occupationes ſcripſiſſe videatur. Vt enim minora omittam, XXXVII. libros Romanę, totidemque naturalis hiſtorię ad Domitianum, vel vt alij volunt, ad

Opera Catonis.

Titum

 146

Titum ſcripſit. Quid loquar de doctrina Alexandri Macedonum Regis? quem Ariſtoteles adeo doctum à ſe dimiſit, vt cum quouis exactiſſimo Philoſopho diſputare auderet. Quanti autem fecerit doctrinam in tanto rerum faſtigio locatus Alex. ex hoc maxime comprehēditur, quod Stagyram præceptoris ſui Ariſtotelis patriam, dirutā ante ab hoſtibus inſtaurari & incoli voluerit. Verum eſt, certe, quod M. Tullius ait; ex quatuor locis honeſti, illum qui in veri cognitione conſiſtit maxime naturam affingere humanā. Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis ſcientiæ cupiditatē, in qua excellere pulchrum putamus, labi autē, & errare, neſcire, decipi malū & turpe ducimus: Vt enim quiſq; maxime perſpicit quid in quaque re veriſſimum, quique acutiſſime & celerrime poteſt & videre & explicare rationem, is prudētiſſimus & ſapientiſſimus rite haberi ſolet. Nam ſicuti prudētia

Stagyra.

facit, vt res omnes expetendas, & fugiendas cognoſcamus, ita ſapientia quidem principium eſt cognoſcẽdi res omnes exactiſſime contemplandas, ex intellectu atque ſcientia cõſtans, ſecundũ Peripateticos, ne non nihil differre iſta duo negemus. Nã ſi in vita rebuſque agendis laudatur vir prudens, cur ſapiens in rebus cõtemplandis propria laude carebit? Quod ſi in actione prudentiæ felicitas humana repoſita eſt, cur ſapientẽ beatiſſimum non appellabimus in contemplatione viuentem, nec in quauis, ſed in ea qua Deo, quo ad fieri poteſt, perſimilis fit, cum res diuinas reuocato à ſenſibus animo intueatur & perſpiciat? Ad prudentiam redeo, ſine qua moratę ciuitates nullo modo eſſe poſſunt. Eſt enim recta ratio rerum gerendarum, hæc voluptatibus modum imponit, hæc fortitudinem animi regit, liberalitatis officium diſponit. Transfert hæc eadem ſeſe nõ ſolum ad rẽ publ. ſed etiam

 147
iam ad familiarẽ, & ad res omnes nõ temere, ſed conſiderate agendas: In deliberatione ſumendum eſſe tempus oſtendit, re deliberata omni ſecordia & ignauia remota, agendum aliquid cum ordine & conſtantia, vt honeſtatem & decus ſeruare poſſimus. Tota enim virtutis laus in actione conſiſtit, ſed in omni deliberatione ſuſcipienda, illud maxime cauendum, ne incognita pro cognitis habeamus, iiſque temere aſſentiamur: Quod certe non fiet, ſi adhibebimus ad conſiderandas res, & tempus, diligentiam. Non tamen vſque adeo immorandum eſt, quod quidam hebetiores & moroſi faciunt, vt occaſionem & opportunitatem rerũ bene gerendarum amittamus: In omni autẽ conſultatione vidẽdum eſt, fierine poſſit quid proponitur, facultates ne habeamus & adminicula, aliter enim inanis noſtra omnis cogitatio eſſet, veniemuſque ad id quod à ſapienti viro longe remotum

eſſe debet, vt dicendum ſit, non putaram.

De Conſilio.

CAP. III.

HVNC autẽ errorem perfacile vitabis ſi ſapientes & bonos in cõſilium adhibueris. Hos velim ſi fieri poteſt, vt ex ciuitate tua deligas. Nã qui tibi fidelius conſulant, quàm ciues tui, nõ video, qui tecum in partẽ bonorum & malorum venturi ſunt. Perſpicatius enim & diligẽtius quod propones intuebuntur & conſiderabunt, qui tecum, vel cum maioribus tuis ſub eodem cœlo, in eodem ſolo nati & educati ſunt, quam qui peregre venere, omnem caritatem in patriam relinquentes, hos velim ſenes eſſe, & rerum humanarum gnaros, fieri enim non poteſt, vt ſententia optima ex iuuene eliciatur, cũ in prudẽtem cadat memoria præteritorũ, conſideratio præſentium, intelligẽtia futurorũ, quæ haberi nõ poſſunt niſi doctrina & aſſuetudine comparentur.

rentur. Mirũ illud in Solomone, atq; Ioſepho adoleſcẽtibus videri poteſt, vt certe eſt; Diuino enim numine, non humana ſapientia & induſtria factum putarim: Vt illi præter ætatẽ tantum ſaperent. Ad viſendum Solomonem Regina Sabba ex longinquis regionibus profecta eſt, tanta erat admiratio bene intelligẽtis: Tota quoque Ægyptus vnius Ioſephi conſilio in carcere etiam conſtituti conſeruata eſt, ab illa ſeptemannorũ caritate & ſterilitate, verum vt dixi hoc diuino nutu, non humana intelligentia factum eſt. Voluit enim Deus oſtendere gentibus, populum ſuũ bene ſentiẽtem, plus cæteris ſapere. Adhibendi ſunt ergo in conſilium ſenes periti rerum humanarum. Senatus enim Romanus, quem totus orbis terrarum cõſulebat, à ſenibus, non à iunioribus nomen accepit. Probati ſint ij quos deligis, nihil habeant ficti, nihil ſimulati, nihil fallaciæ, aperti ſint & veri, plurimũ namque

quein conſilijs dandis accipiendiſve valet integritas vitæ. Quis enim in cœno fontem requirat, aut è turbida aqua potũ cupiat? Eum ne vtilẽ cauſæ alienæ putabis, qui inutilis eſt ſuæ. Non poteſt eſſe conſilio bonus, qui ita vixit, vt ab omnibus malus habetur: voluptates reijciat, auaritiam compeſcat, affectus denique ac perturbationes omnes ſedet, qui tibi fidele conſilium daturus eſt. Nam qui aurum contemnit, qui munera ſpernit, qui vnam iuſtitiam ante oculos habet, facillime contemnet hominũ cupiditates & honeſtum ac rectum ſeruabit. Corrumpi à Pyrro muneribus & pollicitationibus Fabricius nõ potuit, vt in Senatu cenſeret regi pacem concedendam eſſe, antequam ab Italia diſcederet. Diſceſſere re infecta Samnitium legati fruſtra Mannium Curium auro & argẽto impellere conati, vt dandam Samnitibus pacem in Senatu cenſeret, cum illi totiens violati fœderis nondum pœ-

Curius.

nas

nas dediſſent. Themiſtocles poſt victoriam eius belli quod cum Perſis fuit, dixit in concione, ſe habere cõſilium reipubl. ſalutare, ſed id ſciri nõ opus eſſe, poſtulare vt aliquẽ populus daret, cui cum cõmunicaret, datus eſt Ariſtides, huic ille, claſſem Lacedemoniorum, quæ ſubducta eſſet ad Cytheum clam incẽdi poſſe, quo facto frangi Lacedemoniorum opes neceſſe eſſet. Quod Ariſtides cum audiuiſſet in concionem magna expectatione venit dixitque perutile eſſe conſilium quod Themiſtocles afferret, ſed minime honeſtum. Vt enim ſapientes & bonos dixi in conſilium adhibẽdos eſſe, ita verſutos & callidos reijciendos cẽſeo, qui eo tibi inuiſiores eſſe debebunt, quo plura ſapere videbũtur detracta opinione probitatis. At vero ſi cum prudẽtia & cognitione rerum coniuncta iuſtitia fuerit, nihil erit ꝙ princeps ijs auctoribus non poſſe conſequi ſe arbitretur. Tollendæ igitur aſtutiæ ſunt, Themiſto.

ſunt, eaque malitia quæ vult quidem videri prudentia, cum abſit ab ea, diſtetque plurimum. Vt enim malitia mala bonis anteponit, ita prudentia bona à malis ſecernit. Mentiri enim emolumenti ſui cauſa, criminari, fallere, præripere, in bonum virum cadere non poteſt. Purus eſt habitus *Daniel.* Danielis animus, adeo vt ſua integritate mulceret barbarorum mores, & leones mitigaret. Regalibus enim fultus amicitijs non aurũ quærebat, nec pluris delatum ſibi honorem faciebat, quã fidem. Imo vero pericula & quidem grauia obire malebat pro lege Dei, quam hominũ gratia, à vero flecti Improbandum eſt profecto eorum ingenium, qui vt ſapienter omnia diiudicare videantur, ita in cõſultatione loquuntur, vt eorum diaſyrtica & ambigua ſententia in vtrãque partem trahi poſſit, ſi quid ex animo, aut ſecus acciderit, quod feciſſe quendam equitem Florentinum apud auum tuum intellexi: Sagaces

eos

os velim, non aſtutos & callidos. Eſt
nim Sagacitas vt Ariſtoteli placet *Sagacitas.*
cientia rerum agendarũ circa ſprin- 150
ipia. Eoſdem enim & ſagaces & bo-
os dicit, ſi inquit in deliberando in-
entio ſit honeſta, vis illa laudabilis
ſt, ſin improba, aſtutia nuncupatur,
eri igitur non poteſt, vt prudens
uiſpiam poſſit appellari, niſi ſit bo-
us. Cum virtus ſit habitus ratione *Virtus.*
eterminatus, & ipſa recta ratio
rudẽtia nuncupetur, circumſpici-
ndum eſt igitur quid quiſque ſen-
it, cum mora tamẽ, & re perſpecta
hibita docilitate & cautione, ne
laris celeriter agendum eſt: Inam-
lare in corde noſtro, tanquam in
npla domo Dauid Propheta nos *Dauid.*
cuit, & cum eo tãquam cum bono
ntubernali verſari, vt & ipſe dice-
& loqueretur ſecum. Idẽ ad Cu-
nem ſcribens Cicero, te inquit in *Cicero.*
nſilium adhibe, tecum loquere, te
di, melius quam tu conſilium dare
i nemo vnquã poterit. Bibe inquit
Solo-

Solomon. Solomon aquam de tuis vaſis, & puteorum tuorum ſcaturitionibus, hoc eſt cōſilio tuo vtere. In hac agitatione mentis prouidendum tibi eſt, ne quid in futurum ſiniſtri accidat, ne bello, ne ſeditionibus, ne caritate rerum omniū, ne alluuionibus fluuiorū, ne incendijs, ne rapinis, ne peſte populus tuus opprimatur, cuius tutela & cura tibi cōmiſſa eſt. In conſilio enim vt ait Plato præteritū tempus nobis exempla ſuppeditat, cum attenditur, quid, cur quęq; gens paſſa ſit, vt caueamus, aut quid prudenter egerit, vt imitemur. Præſens vt annoſos muros & rimoſos inſpiciamus, homines timidos & imbelles: annonæ vt ante dixi caritatem. Futurum vt ne quid fiat temere, vnde infinita mala oriuntur. Erit etiā prudentis non ita facile credere calumniantibus, aut portenta & monſtra, vt fit, aucupandi aliquid gratia nunciantibus, aut ariolis, haruſpicibus, auguribus, geomanticis, pyromanticis,

cis,necromanticis,magis, atque huiuſmodi nebulonibus,qui ob lucrum ſomnia etiam confingunt & interpretantur,eaque tibi pollicētur quæ nequaquā ſibi ipſis præſtare poſſunt. Idem dici de his poteſt quos Alchimiſtas vocāt, idem quoque de Theſauri inuentoribus, hos vt fucos perniciosos ita tu ex ciuitate tua fugato, vt olim Cato ex Repub.Rom.Medicos tanquā veneficos pellendos cenſuit: Hoc ſi feceris & ſecuritatem tibi ac tuis paries, & felicitatem cum æternitate comparabis.

De Iuſtitia.

CAP. IV.

NON apud Medos ſolum , vt ait Herodotus,ſed apud omnes gētes iuſtitiæ gratia delecti principes videntur: Acciti etiam quidā externi ſunt ob inſignem iuſtitiam, qui ciuitates regerent,vt de Numa legimus: Nam cum premeretur inops multitudo ab ijs qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugere

neceſſe erat, virtute præſtantem, qui ſummos cum infimis pari iure retineret. Eadem etiam cauſa conſtituẽdarum legum fuit, quæ cũ omnibus vna atque eadem voce loquerentur: Aurea profectò videri debet illa ſententia doctoris noſtri Argyropyli, qui aſſerebat, ita iuſtitiam in humana ſocietate neceſſariam eſſe, vt in animãte animam: Atq; vt ſi inſit illa, corpus interno motu cietur; ſi egreſſa fuerit, riget continuo, diſſoluitur, atque putréſcit, ſic ſi iuſtitia adminiſtretur ſocietas conſtat, ſin poſthabita fuerit, langueſcit & exhalat. Nemo eſt qui vt Deum quendam iuſtum non intueatur & admiretur: Huic committunt fortunas, liberos, coniuges, atque humana omnia, & merito quidem: Cũ iuſtitia ſit, vt Ariſtoteli placet non pars quædã virtutis, ſed tota virtus, vt iniuſtitia tota vitioſitas eſt, fundamentum igitur perpetuæ cõmendationis & famæ, iuſtitia erat, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile:

Camil-

Camillus dictator Romanus remiſſo pædagogo virgis ab eiſdē pueris cæſo, quos ſecum tranfuga in caſtra hoſtium duxerat, Phalerios, quos vi nō poterat, iuſtitia & clementia in deditionem accepit: Cum P. Claudius Camerinos ſub haſta vendidiſſet, quia parum liquida fide id geſtū ab Imperatore videbatur: Senatus maxima cura conquiſitos reddidit, atq; in Auentino habitandi locū aſſignauit, prædijs etiam reſtitutis: Idem Senatus oblatā ſibi Pyrrhi hoſtis mortē à Timocrate medico aſpernat⁹, Pyrrhum monuit, vt ſibi caueret, ſuppreſſo Timocratis nomine, vt quidā hiſtorici aiunt: Hinc poſtea orta eſt illa Regis munificentia de remittendis ſine prętio captiuis: Pittacus Mytilenæus vnus ex VII. ſapiētibus tam diu Athenis delatum ad ſe regnum exercuit, quamdiu neceſſitas eius vrbis de Sigeo dimicantis poſtulare viſa eſt, poſtea pace parta liberā ciuitatem reliquit: Laudatur & Ariſtides, *Camillus.* *P. Claudius.* *Ariſtides.*

ac iuſti cognomentũ conſecutus eſt, cum in omnibus tum vel maxime, ꝙ Themiſtoclis conſilium vtile quidẽ, non tamẽ honeſtum apud populum improbauit. *Calenus.* Calenus Locrenſiũ vrbe à ſe ſaluberrimis legibus communita, cum intelligeret filium adulterum vtroque oculo ſua lege priuari debere, acclamãte populo ne id fieret, ſe vno, filium vero altero priuauit oculo, vt & naturæ & legi ſatis faceret: *Charundas.* Charundas Tyrius ſancita à ſe lege, ne quis armatus concionem ingrederetur, rure veniens gladio cinctus in concionem deſcendit: Erro recognito ne lex abrogaretur, gladio incubuit, exemplũ cæteris daturus, ne quid cõtra legem à ſe editam molirentur: Hoc Charundã facere charitas impulit, quæ vt ait Paulus, ea nõ quærit quæ ſua ſunt. *Paulus.* In hac enim iuſtitiæ fundamentum iactum, omnia ſuſtinet, omnia ſuffert quæ ad ſocietatem humani generis pertinẽt: Nã ſocietas ipſa in iuſtitiam & beneficẽ-

153

tiam diuiditur, quam & liberalitatẽ & benignitatem appellamus. Primũ autẽ iuſtitiæ munus eſt, vt ait M. Tullius, ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria, deinde vt communibus pro communibus vtatur, priuatis vt ſuis. Vtraq; diuiſio à noſtris improbatur, quod auctoritate & exemplo Saluatoris etiam prouocati maleficio, par pari referre aduerſarijs noſtris non debemus, ſed ferre æquo animo, & ſi opus fuerit, martyrio coronari, veritatis & iuſtitiæ gratia alteram maxillam percuſſori prębere. Vti pręterea communibus pro communibus, & priuatis, vt priuatis, non autem vt ſuis, quod aiunt Chriſtianorũ propriũ eſſe & Stoicorũ. Formam igitur beneficentiæ amittimus, dum augere opes, congregare pecunias, occupare terras conamur, quæ omnia natura communia fuerãt. Verum poſteaquam ita accidit quæ legibus deſcripta ſunt & iure ciuili ita teneantur, communia ſaltem habeamus, errantes

Saluator.

tes admonere, ignaros, docere, aut vt erudiantur curare, aquam non ꝓhibere, pati ignem ab igne capere, conſulentibus fidele conſilium dare, ſemperq; aliquid cogitare, quod ad communem vtilitatem faciat, in hac ſocietate humana gradus diſtinguere ſuperuacaneũ quodammodo mihi videtur. Quis enim eſt qui neſciat plus ſe patriæ, parẽtibus, liberis, propinquis, ciuibus debere eiuſdem nationis, eiuſdem linguæ, quam peregrinis & exteris? Multa ſunt enim ciuibus inter ſe communia, vt ait Cicero, quæ ſocietatem humanam confirmant, forum, Phana, porticus, viȩ, leges, iura, ſuffragia, conſuetudines præterea & familiaritates: Addo etiã connubia & affinitateș, quibus tanq̃ firmiſſimis nodis ciuitas inter ſe colligatur. Hinc eſt propagatio ſobolis, & origo ciuitatum, cuius procuratio non aliena ȩſt ab optimo principe, quo magis ſimul nectantur voluntates ciuium, quoque numeroſior tuus

ſiat populus. Fieri enim non poteſt vt mutua ſit beneuolentia inter te & tuos ciues, niſi intellexerint te vna charitate omnes ciues complexum eſſe, curareque vt omnes quam beatiſſime viuāt: Sed quia nulla ſocietas præſtātior, nullaq; firmior eſt, quam quæ cum viris bonis cōparatur, curandum tibi erit, vt & moribus & doctrina, & eruditione imbuātur: Hac enim ratione & tua digni erūt ſocietate, & tibi niſi omnino fuerint ingrati, aliquando bene agēdo parem referent gratiam.

De Fide.

Cap. V.

AT vero cum totius iuſtitiæ fides ipſa fundamentum ſit, curandū tibi erit tuo potiſſimum exemplo, vt ciues tui in dictis pactiſque eam ſeruent. Standum eſt enim promiſſis, vt id faciamus ꝙ eſt promiſſum: Vnde Stoici dictam eſſe Fidem arbitrantur, quod ſi ſecus fieret, diſſolueretur ea pars iuſtitiæ quæ in ſocietate hu- *Fides.*

mana repoſita eſt. Seruandam quoque fidem peregrinis & hoſtibus illud declarat, quod dij ipſi qui noluere longe ac late diffundi ipſam virtutem & iuſtitiam, vinculum quoq; fidei interpoſita auctoritate nominis ſui annecti paſſi ſunt. Eſt enim

riſiurandum.

iuſiurandum affirmatio religioſa tota quidem ad iuſtitiam & fidem pertinens. Vnde præclare ait Ennius ô

nnius.

fides alma, aptá pinis, & iuſiurãdum Iouis, cũ igitur iuſiurãdum violatur, fides violatur quam in Capitolio vicinã Iouis Op. Max. Rom. eſſe voluerunt. Quod enim iuratum eſt & mẽs conciperet fieri oportere, id obſeruãdum eſt:

I. Regulus.

M. Regulus, vnicum fidei exemplum, maluit ad certam pœnã redire, quam datam fidem violare:

guntini.

Saguntini ab Hannibale obſeſſi, vt fidem Ro. Po. ſeruarẽt, extrema quęque fortiter paſſi, ſe ac ſua omnia, cũ amplius ſuſtinere hoſtẽ nõ poſſent, rogo iniecerunt:

etilini.

Petilini ab eodem Hannibale circumſeſſi, cum auxiliũ

à Po.

à Po.Ro. Cannenſi clade afflicto fruſtra implorarent, eiſque reſponſum eſſet, vt incolumitati ſuæ conſulerét, eiectis fœminis & turba imbelli pro muris omnes interfecti ſunt: Hannibalem itaque tandem vrbe potitum dixiſſe ferunt, nõ vrbem ſe, at ſepulchrum cepiſſe: Superatis in Sicilia Carthaginenſibus, cum Hamilcar & Hanno de pace acturi eſſent, veriti primo adire cõſules ſunt, ne ipſi quoque fidefragi in vincula conijcerentur, quemadmodũ à ſe olim Cornelius Aſina coniectus contra ius gentiũ fuerat. Verum Hanno conſcius Romani animi cõſules adijt, apud quos cum de finibus ageret, dixere quidã poſſe ei merito euenire ꝙ Cornelio per ſuos acciderat: At vero impoſito à Conſulibus ſilẽtio, te, inquit, Hanno, fides ciuitatis noſtræ hoc metu liberat. Seruandum enim ius gentiũ eſt, ſeruanda fides, non dico prædonibus, aut piratis, qui communes omnium hoſtes ſunt, non perduellis:

Hannibal.

Hamilcar.
Hanno.

Corn. Aſin.

Quibus ſeruanda fide

Ijs ſi pactum pro capite pretium nõ attulerint ciues tui, nulla fraus eſt, ne ſi iurati quidem id nõ fecerint. Nam falſum iurare, non peierare eſt, ſed ꝙ ex animi tui ſentẽtia iuraueris, ſicut verbis concipitur, id non facere periurium eſt, ſcitum eſt illud Euripidis, iuraui lingua, mentem iniuratam gero. Reguli periurium fuiſſet, niſi fidẽ datam ſeruaſſet. Hanc vero tãti ſemper fecit Po. Ro. vt præclaros viros hoſtibus dediderit T. Veturius & Sp. Poſtumius ad Caudiũ ſuperati, fœdus cum Samnitibus iniêre, ſed quia iniuſſu Senatus id fecerant, hoſtibus dediti ſunt. Idem accidit C. Mancino, quod cum Numantinis ſine Senatus auctoritate fœdus percuſſerat. Idem etiã decem illis quos poſt Cannenſem pugnam iuratos ad Senatũ miſit Hannibal in caſtra Pœnorum redituros, ſi de redimendis captiuis non impetraſſent. Nouem ex ijs re infecta redijſſe conſtat. Vnum ex X. qui, paulo poſt quam erat egreſſus è

Iuſiurandũ mente concipi.

caſtris,

caſtris, redijſſet, quaſi aliquid eſſet oblitus Rom. manſiſſe: Reditu enim in caſtra liberatum ſe eſſe iureiurando interpretabatur, ſed hũc veteratorem & callidum vinctum ad Hannibalem Senatus remiſit. Nullum enim vinculum ad aſtringendam fidẽ iureiurando arctius putãdum eſt: Id indicant leges, indicant fœdera, indicant pœnæ irrogatæ à Cenſoribus: Sed quid ego maiorum exempla hac in re quæro? cum patrẽ habeas adeo incorruptę fidei, hac pręſertim tempeſtate, qua peierare ludꝰ eſt, vt quotiens Italorum quorundã inconſtãtiam & perfidiã notamus, vnius Ludouici Mantuani Principis fidẽ tanquam peculiarem excerpamus. Tu vero vt principatus, ita quoq; huius fidei hæres eſto, curatoq; vt eam ſeruent ciues tui, tum inter ſe, tum cum peregrinis, in emendis vendendiſq; rebus, in contrahendo, locando, cõducendoue, nulla fraude vtantur, nullo dolo malo. Ab iniuria quoquę

perfidiaque, tuo etiam mandato abſtineant.

De Magiſtratibus Ciuitatis.

Cap. VI.

ET quoniam vt corpus ex mẽbris, ita etiã ciuitas magiſtratibus cõſtat, videndum profecto quam diligentiſſime eſt, quos potiſſimum ad gubernandam ciuitatẽ deligas. Niſi enim paterfamilias habeat qui eius vicem gerat, nulla erit proculdubio œconomicæ ratio. Hoc idem multo magis in ciuitatem cadit, quia pluribus curatoribus indiget, qui non ex quouis genere hominum, ſed ex vera nobilitate, de qua antea diximus deligendi ſunt, conſentaneum namque eſt ex melioribus ortos, meliores futuros, tum ad imperandum, tũ ad parẽdum. Optimus enim gubernator legibus plerunque antefertur, quod non vniuerſa tantum, verum etiam particularia inſpiciat. Hos eſſe bonos & peritos legum ſi fieri poteſt oportet, vel ſaltem rerum humanarum

narum gnaros: Quod non cōtinget, niſi grādiores natu fuerint, quæ ætas potiſſimum magiſtratui cōuenit, cū ſenes ob ætatem verecundiā populis inijciant: Præterea vero nemo indignatur ſenioribus propter ætatem concedere, quando & ipſe cum ad id ætatis venerit, ſciat ſe tale præmium recepturum, cumq; intelligat, eum poſtea recte alijs imperaturum, qui modeſte & conſtanter alterius imperio obtemperauerit: Sint igitur quos deligis in magiſtratum, (legem loquentem vt ait Cicero,) boni, modeſti, continentes, iuſti, fortes, prudentes, abſtinentes, & à quouis flagitio alieni, teneantque dijudicandi & imperādi modum. Primus autem in ciuitate magiſtratus Prætor eſt, ideo ſic dictus, quia præeſt alijs, hic quia apud Romanos Vrbanis ius dicebat, vrbanus prętor appellatus eſt: Penes hunc Magiſtratum omnis publici, priuatique iuris poteſtas fuit, vt nemini ius condere & vetera reſcindere,

Magiſtrat in ſene.

Magiſtratu lex loquen

Prætor.

De officio Prætoris Rom.

dere,

dere, niſi huic liceret: Quod Prætor ipſe edicebat ius honorarium vocabatur: Hunc anteibant ſex lictores cũ faſcibus & ſecuribus, huic & ſella curulis, & trabea concedebatur, quo facilius populos, maieſtatem præſeferens, in officio contineret: Hic igitur iuris diſceptator reddat iura petentibus, ob omni odio, ira, cupiditate, amicitia alienus. Recte enim iudicare non poteſt qui affectibus & perturbationibus mouetur: Vnde peregrini Prætores vocari ad ius dicendum conſueuerunt, nulla familiaritate, aut gratia ab honeſto & recto diſceſſuri. Tueri enim debent, vt ait Plato, vtilitatem ciuium, & quicquid agant ad eam referre obliti cõmodorum ſuorum: Totum præterea corpus ciuitatis curare debẽt, ne dũ partem aliquam tuẽtur, reliquas deſerant: Nam qui parti ciuium conſulunt, partem neligũt, rem pernicioſam in ciuitatem inducunt, ſeditionẽ atque diſcordiam. Eius enim munus

Ius honorarium.

Peregrini Prætores.

nus eſt intelligere ſe ad commoditatem ciuitatis creatum eſſe, debereq; eius dignitatẽ & decus ſuſtinere, ſeruare leges, iura deſcribere, tueriq; ea quæ eius fidei commiſſa ſunt: Quod profectò quam diligentiſſime faciet, ſi intelliget iuſtitiam & pietatem abs te coli, tuæque aliquando cenſuræ ei ſtandum eſſe: Omnis autem eius animaduerſio & caſtigatio, contumelia vacare debet, neque ad ſe qui puniet aliquem aut verbis caſtigat, ſed ad tuam & ciuitatis vtilitatem referre debet. Cauẽdum eſt etiam, ne maior pœna, quam culpa ſit, neve ad iudicandum iratus accedat. Tenere enim iratus mediocritatem illám non poteſt quę eſt inter nimium & parũ: Sint illi qui iudicãt, ſi fieri poteſt, legum omnino perſimiles, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur: Vnde Plato Xenocrati *Plato* ad ſe accedẽti, vel vt alij volũt Speuſippo: Cæde inquit hunc puerũ, mihi autem quod iratus ſum integrum

non

non eſt: Eadem moderatione vſum
Archytas. ferunt Archytam Tarentinum, infenſum villico, quod agros neglĩgẽter coluiſſet.

De Clementia Principis.

CAP. VII.

CAVENDVM autem erit, ne in illo plus ſeueritatis, quã in te clementiæ ſit, cum tu propenſior ad dãdam veniam eſſe debeas, quã ille ad ſumendas pœnas. Proprium enim principis eſt, nõ tam pertinaci ſeueritate & acerbitate, quam lenitate & clementia adhibito conſilio & maturitate populos in officio cõtinere. Hinc eſt quod clementes Deo ſimiles exiſtimamus, contra vero crudeles & immites deteſtamur & abominamur, vt inimicos & hoſtes humani generis. Quis non leget cum indignatione & execratione L. Syllam
L. Sylla. gloriari ſolitum ſe à nemine vnquã crudelitate victũ, quatuor legiones ex Marianis militibus in Campo Martio trucidari iuſſiſſe? Tiberim
cada-

cadaueribus repleuiſſe? quinq; milia Prę neſtinorum interfici & per agros ſpargi voluiſſe? quatuor milia ciuiũ & ſeptingentos proſcripſiſſe? capita proſcriptorũ abſciſſa in ſuam domũ deferri mandaſſe? M. Marium ad ſepulchrum Luctatiæ gentis per ora omnium tractum confoſſis oculis mẽbratim cædi? Idem quoque M. Pletorium miſericordia motũ occidi iuſſit. Nollem C. Marium virũ alioquin excellentẽ tanta rabie deſæuiſſe. Hic enim M. Antonij abſciſſum caput lętus admodum manibus inter epulas tenuit. Munacius Flaccus Pompeianarum partium in Abtigenſi oppido Hiſpaniæ obſeſſus, ciues omnes Cæſarianarum partium occidi iuſſit, & è muris præcipitari, infantes illidi, & liberos in conſpectu matrum trucidari: Nota eſt Hannibalis ſæuitia qui & pontẽ ex cadaueribus Romanorũ fecit, quo Aufidũ traijceret, & captiuos Romanos oneribus & itinere feſſos ſucciſa prima pedum parte feris

C. Marius. *Munacius Flaccus.* *Hannibal.*

ris relinquebat, alios vero in caſtra perductos tam diu inter ſe dimicare cogebat, donec ad vnum omnes interficerentur. Magna fuit & Mithridatis crudelitas, qui Gauro ſpadone ſuadente LXX. milia ciuium Rom. qui negotiãdi cauſa in ponto morabantur, quodam die occidi mandauit. Doleo Athenienſes, vnde Vrbanitatis & humanitatis nomen cum omni genere diſciplinæ venit, Æginenſium iuuẽtuti pollices abſcidiſſe, ne à maritima ciuitate bello opprimerentur. Quid tibi Merentium, Capaneum, Buſyrim, Proclum, Phalarim, Piratas, Cyclopas, Læſtrygonas commemorem? cum recentior ſit Tiberij, C. Caligulę, Neronis, Domitiani Sæuitia. Horum omniũ nomina ita profecto nefanda ſunt habita, vt crudeles & immanes etiam noſtra tempeſtate eiſdem nominibus, tanquam notis Thraicijs compuncti vocentur. Quàm durum ſit, aſperum & immite crudelitatis nomen,

aliorum exemplo vides. Contra vero quàm ſuauis, quamq; iucunda ſit omnibus ſanctiſſima clemẽtia, ex ijs intelliges, quorum nomina ob placabilitatem & lenitatem adhuc in pretio ſunt. Paulus Æmylius captiuum Perſam Macedonum Regem procumbere ad genua ſua volẽtem, dextra manu ad ſe traxit, lateríque ſuo aſſidere ac mẽſę voluit. CN. Põpeius Tigranem hoſtem Armeniæ Regem diutius in conſpectu ſuo iacere paſſus non eſt: Iuſſum ſurgere & diadema, quod ad miſericordiã mouendam abiecerat ſumere, in regnũ & priſtinam ſedem reſtituit. Ferunt C. Cæſarem cuius diuinam virtutem ſola clemẽtia, qua omnes ſuperauit exornat, viſo Pompeij hoſtis capite illacrymatum, curaſſeque vt id odoribus crematũ omni genere honoris adhibito ſepeliretur. Idem quoque omni ex parte mitis Catonis morte audita, quem vnum & inimicum & hoſtem habuerat, ingemiſcens: No-

Paulus AEmilius. Perſa Rex.

CN. Pompeius.

ſtræ,inquit,gloriæ inuidit Cato: Dolebat enim vir clementiſſimus præreptam ſibi eſſe ignoſcendi occaſionem,ex qua plus prope gloriæ quam ex imperio cõſecutus eſt. *Piſiſtratus.* Piſiſtratus Athenienſiũ tyrannus in adoleſcentem,qui amore ardẽs obuiam filiam exoſculatus erat,animaduertere voluit,adhortante autem vxore vt ſupplicio adoleſcentem afficeret: Si amicos, inquit, interfecerimus, quid faciemus inimicis? *Pyrrhus.* Pyrrhus rex Epirotarum,cum Tarentinos de ſe male ſentire intellexiſſet,ab accerſitis petijt,verum ne illud eſſet, ex ijs vnus, niſi nobis,inquit.rex vinũ defeciſſet, quæ tibi delata ſunt, perfeciſſemus. Riſit Pyrrhus,& clementia ſe vſu delectatus eſt.Commotus vehementer *Alcioneus.* eſt aduerſus filium Alcioneum Antigonus Rex, quod ad ſe Pyrrhi interfecti caput detulerat, crudelitatemque ei obijciens, Pyrrhi corpus cum capite inſigni rogo cremari ac ſepeliri mandauit. Noſtra quoque ætate

Philip-

Philippus Vicecomes Inſubriũ dux, 161
Alphonſum Aragoniæ regẽ in bello captum, multis ac magnificẽtiſſimis muneribus donatum in regnum remiſit. Quid hac clementia præſtantius? quid laudabilius? contra vero? quid illa crudelitate deteſtabilius, & turpius? Tu igitur tantos & principes & reges imitatus prætoris & tui ipſius in puniendis delinquentibus clementia vtere, atq; citra ſeueritatẽ potius pedem retrahe, quam vltra progrediare, ne ob atrocitatem pœnarum incrudelitatis notam incurras, qua nihil poteſt eſſe in principe, aut deteſtabilius, aut pernicioſius: Ad retinendam autẽ in iudicijs mediocritatem, multum valet interpoſita appellatio, quę vt eſt à maioribus tuis in ciuitate retenta, ita & à te illorum imitatore ſeruari debet, ne cui incognita cauſa, fiat iniuria.

Contra Cauſidicos. Cap. VIII.

SED quoniã ex æquo & bono plerunque iudicare neceſſe eſt, com-

peſcenda eſt audacia cauſidicorum, qui iudicijs cauillationes interponunt,quo diutius lucri gratia cauſæ protrahantur. Iure enim gentium & ciuili cautum, ne cui quis detrahat ſui commodi cauſa: Quid quod etiã tãta eſt eorũ audacia, cauſas iniquas ſponte ſuſcipiunt: & ſuſceptas pertinaciter magnis acclamationibus defendunt? Quo quiſq; enim maxime clamat eo ſapientior & honeſtior in cauſa putatur. Dorophagos merito
Heſiodus. hos Heſiodus ad fratrem ſcribẽs appellat,eumque admonet, vt voraciſſimas eorum fauces deuitet. His ego addiderim aduocatos & tabelliones, niſi eorũ vita probata & aſpecta fuerit: Bene inſtituta eſt à legumlatoribus pœna temere litigantibus, ne iniuria quiſpiam ob aduerſariorũ potentiam circumueniatur: Recte pręterea condita eſt lex Cornelia de fal-
Lex Cornelia. ſis: qua, qui deliquere plectant. Quis enim pupillus, quę vidua, quis inops, quis extern⁹, aut peregrinus rabidos
iſtorum

iſtorum dentes aufugiet? niſi fuerint tua ſeueritate coerciti, & intra proprios fines retruſi? Videat iudex, ne aliter iudicet quam legibus, aut moribus, aut cōſtitutionibus proditum eſt. Videant quæſtores ſic dicti, vt M. Varroni placet, quod maleficia conquirant, né plus tormenti accuſatis inferant, quā res ipſa delata aut conuicta exigere videtur. Caueāt tabelliones, ne corrupti pecunia aut teſtamenta ſupponant, aut in empto, diuendito, conducto, locato, falſo, auctoritatem ſui nominis interponāt.

De Quæſtoribus, Publicanis & Fæneratoribus.

Cap. IX.

Quæstores dictos quod publicæ pecuniæ quærendæ præpoſiti eſſent, nemo eſt qui ambigat: Ij vero apud Romanos partim ærario vrbano, partim vectigalibus prouinciarum exigendis præficiebantur, fuêre qui arbitrarentur horum quoque officium fuiſſe literas publice

miſſas in Senatu legere, vtcunque eſt eorum, habere manus abſtinentes oportet. Satis eſt enim publicum in ęrarium referre, ne dum priuata expilent, non publici commodi, ſed priuati cauſa. Multos enim vidimus, nō modo tua in ciuitate, ſed etiam alibi, qui breui, quod ſine rapina fieri non poteſt, ingens ſibi peculium compararunt, aut accipiendo vnde non oportet, aut non reddendo quibus oportet. Hos tu, vt vniuerſæ ciuitati perniciosos, ex lege Iulia de repetūdis & de peculatu coërce. Cauēdum eſt etiam tibi, ne noua vectigalia imponas: Quod ſi bello interueniente id facere neceſſe fuerit, pace pacta ex ſententia Iuſtiniani tollendum omnino erit, vt quod belli timor introduxerat, hoc pacis lenitas conſopiſcat: Publicani autem quorum illiberales & ſordidi quæſtus odia hominum facile incurrunt, obſeruari q̃ diligentiſſime debent. Ex ijs enim quos tātopere laudat Cicero, graues con-

Lex Iulia.

Iuſtinianus.

controuerſiæ, multæ iniuriæ, magnæ contentiones naſcuntur: Nam conductis quouis grandi pretio portoriis & vectigalibus, cum poſtea ſoluēdi nō ſunt, ex alieno diripiunt, lacerāt, extorquent, nec à ciuibus tantū, verum etiā à peregrinis, mercaturæ aut negotij cauſa ad vrbem tuam accedentibus. Quod cum inutile ſit, tum vel maxime ciuitati turpe & indecorum eſt: Horum audaciam & temeritatem compeſcendam cenſens Vlpianus edictum propoſuit, quo quicquid illicite publice vel priuate extortum eſt, tantundem & eo amplius iniuriā paſſo exolui mandat. Per vim extortum cū pœna tripli reſtituitur, & extra ordinem plectuntur: Alterū enim vtilitas priuatorum, alterū publicæ diſciplinæ ratio poſtulat: Abſtinentes habeant manus oportet, ſciantque ſibi non plus licere, quam cuiuis de populo: Compeſcēdi ſunt & Fœneratores, ſiue ij Chriſtiani ſint, ſiue Iudæi, quibus hoc deteſta- *Vlpianus.* *Fœneratores.*

bile lucrum cordi eſt. Etſi enim lege Moyſeos fœnerari prohibentur, tamen tanta eſt lucri dulcedo, & ſuauitas, vt vtilitatem honeſtati anteponant: Affirmãtes id fieri licere cũ exteris, cum fratribus autẽ minime, adeo quaſi vero ipſi ſeorſim diuinitus, & non ex eiſdem parentibus nobiſcum ſint geniti: Huius mali cauſa eſt auaritia & deſidia, qua delectati omnes labores ſubterfugiunt, & tãquam ignauiſſimi fuci parto aliorum induſtria fruuntur. Quid ſi ij deteſtabiliores ſunt habendi, quam aut fures, aut latrones, aut Piratæ? illi enim adeuntes quoduis magnum diſcrimen, ſitim, famem, æſtus, frigora patientes, vnde viuant conquirunt, maximis interdum acceptis vulneribus, hi vero tecto & vmbra gaudẽtes tãquã fœdiſſimæ harpyæ ne minimũ quidem incommodum ferentes, nõ acceptis, ſed illatis ex fœnore vulneribus hominum ſanguinem exugũt, carnem exedunt, oſſa corrodunt, exiſtiman-

[C]ontra fœneratores Iudæos.

iſtimãtes id ſibi licere, propter vetus odium, quod Chriſtianos inter & ꝑfidum illud ac ſuperſtitioſum genus iamdiu interceſſit. Audi quæſo quid de hoc genere hominum ſentiat Cato ille ſenex: Nã cum ab eo quæreretur, quid maxime in re familiari expediret, reſpõdit. Bene paſcere, quid ſecundum? Satis bene paſcere: Quid tertium? Bene veſtire: Quid quartũ? arare: Et cum ille quæſiſſet: Quid fœnerari? Tum Cato: Quid hominẽ inquit occidere? Ex quo intelligi poteſt, hos vt parricidas, maxime vero Chriſtianos, ſi in tali crimine deprę-henſi fuerint, vltimo ſupplicio Catonis ſentẽtia affici poſſe. At quoniã in emendis, vendendiſq; rebus fraus permagna interdum ſubeſſe ſolet, deligendi ab te erunt, qui videant, ne annona, vinum, carnes, eſculentaq; omnia vitioſius aut carius, quam ipſa anni tempora requirunt, vendãtur, vtque emptori ſucurratur, ſi iumentum aliquod morboſum, pro valido ſano- *Cato Senex.*

ſanoque, ſiue quid vitioſum pro ſincero: Fractum pro integro, emerit: Quod apud Romanos Ædilitio edicto cautum erat: Ædilium quoque munus putabatur curare, vt fora, vici, ſtrata, viæ publicæ, cloacæ, & aquę ductus, cæteraq; ædificia lauta, munda, integra, expeditaque aſſeruarentur, tum ad vtilitatem, tum ad ſalubritatem ciuium. Verũ ne quid ciuitati tuæ ad felicitatem deſit: Cenſores adſint oportet, qui videant rectene, an ſecus vixerint, egerintve qui in magiſtratu fuêre: Sed qui melius quam tu hoc munus ſubeat, in ciuitate tua habes neminem, tum propter auctoritatem quæ in principe maxima eſt, tum etiam quia, vt in Euangelio dictum eſt, diligẽtius Paſtor quam mercenarius oues proprias cuſtodit. Omnes enim in officio facile cõtinebis, ſi tibi rationem villicationis reddere cogentur. Tu igitur vt optimum cenſorem decet, cura vt familiares, & domeſtici tui, vt

e Cenſori-a.

angelium.

magi-

magiſtratus omnes, vt nobiles, vt plebei, vtq; poſtremo omne genus hominũ, quod tuę ſub erit ditioni, iuſte, modéſte, integre ac ſãcte viuat: Hoc eſt Cenſorium munus, hoc principẽ decet: Hæc ſi obſeruari coges, cum ſumma vtilitate ciuitatis tuæ, magnã ipſe conſequere & gratiam & gloriã.

Contra Auaritiam.

Cap. X.

SED quoniam apud Philoſophos & legumlatores diffinitũ eſt; Iuſtitiam eſſe æqualitatem vnicuique quod ſuum eſt reddentem, pertinẽtemque maxime ad ſocietatem hominum inter ſe, quæ rurſum in æquitatem, vt diximus, & beneficentiam diuiditur, quam eandem & liberalitatem & benignitatem vocamus, nõ erit abſurdum, primo quidem exprimere, quid potiſſimum ipſi æquitati obſtet. Ea certe auaritia eſt, qua nihil poteſt eſſe tetrius præſertim in principibus & Remp. gubernantibus. Nã cum duæ humano generi peſtes incum-

cumbant, luxuria & auaritia, malorũ omnium fundamenta, pernitioſior tamen auaritia habetur, quod omnino cõtra naturam ſit, quodq; omnia mala ſuadeat: Vtinã inquit C. Pontius Samnis ad illa tempora fortuna me ſeruaſſet, & tũc eſſem natus, quãdo Romani dona accipere cœpiſsẽt, non eſſem paſſus eos diutius imperare. L. Septumuleius eodem morbo laborans Grachi familiaris ſui caput pilo affixum per vrbẽ geſtauit, & quia Opinicus Conſul tantundem auri quanti caput ipſum põderis erat repenſurum ſe dixerat, emiſſo cerebro caput liquato plumbo repleuit, quo ponderoſius eſſet: Propoſito apud Iudæos palam edicto, ne quis ex incenſa vrbe Hierico aliquid auferret, Achar veſtem auream & ducenta argẽti drachmata ſuſtulit, oblatus Duci Ieſu Naue furtũ prodidit, ad quod auaritia impulſus fuerat: Putauit Balaach muneribus & præmijs impelli Balaam poſſe, vt malediceret populo pa-

lo patrum, peruiciſſet tandem auaritia, niſi Dominus à maledicto eum prohibuiſſet. Nōne Samſon ille, qui Leonem, qui tot hoſtes vicerat, tot vincula fregerat, Dalidę mulieris cupiditate decipitur? Eius enim crines perfida mulier ob auaritiā hoſtibus vendidit. Eſt enim auaritia habendi ſitis, quæ vt hydropico cōtinuò hauſtu, ita in auaro extingui non poteſt. Verum certe illud prouerbium eſt, tam deeſſe auaro quod habet, quam quod non habet, cum ob anguſtiam animi parto etiam frui non audeat: Tollit prætereà amicitiam & ſanctā ſocietatem auarus, cum nemini proſit & multis noceat: Nam pauperes violat, diuitibus inſidiatur, ſocios expilat, ignotos & peregrinos vexat, publicus omnium hoſtis, aqua certe & igni interdicendus, cum inutilis ſit ciuitati: Reipub. pernicioſus, ſibi ipſi demū hoſtis acerrimus. Auaros ſub Harpyæ nomine deſcribēs tuus Maro poeta diuinus ſic inquit. Virginei *Maro.*

volu-

volucrum vultus, fœdiſſima ventris proluuies, vnceque manus & pallida ſemper ora fame: Ideo virgineos habere vultus dixit, quia ſemper cupiditas iſta vireſcit. Auari mens nunquam quieſcit: Vnde volucres à celeri & continuo motu vocat, ventris ꝓluuies, ſordidos auaritia notat: Vncæ manus rapacitatem indicãt: Pallida fame ora, famelicos eos oſtendũt, nec ob auaritiam ſitim vnquam aut famem ſedantes: Addidit & illud poetarum princeps: Triſtius haud illis monſtrum, nec ſęuior vlla peſtis, & ira Deum ſtygijs ſeſe extulit vndis. Hi certe ſunt illi dæmones auari, triſtes, obſcœni, ſqualidi, ſordidi, quos Diogenes cum Alexandro loquens in primo loco ponit. Hos pecuniam pluris facere, quam patriam, aut parentes, aut cognatos oſtendit: Hinc eſt quod mortem propinquorũ expectant, nunquam rident, omnes ſuſpectos habent, nemini credunt: Ad rapinam ſpectantes digitis in computatio-

putatione ſemper micant. In hac re tantũmodo ſolertes, in cæteris ignari, indocti, inimicitias, odium, maledicta nihil curant, modo rem faciãt: Magneti perſimiles, nam vt ille ferrum trahit, ſic ij aurum & argentum vndiq; & quouis modo rapiunt. Omni tyrãno ſæuior certe eſt pecuniç cupiditas, quam nemo ſapiens, vt ait Criſpus, vnquam cõcupiuit, ea quaſi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effœminat, neque copia vnquam neque inopia minuitur. Vnde Stoici mentes hominum ab hac peſte dimoturi, dixere, nequaꝗ̃ ſe adduci poſſe, vt quæ modo huc, modo illuc, transferri poſſint, in bonis rebus ſint habenda. Idq; etiam Biantis auctoritate confirmant, qui In direptione patriç admonitus, vt aliquid de ſuo aſportaret, facio id quidem, inquit: Solam enim virtutem, non autẽ diuitias bonum putãt: Sed cum turpe ſit omnibus hoc morbo laborare, tum vel maxime principi- *Criſpus.*

bus turpiſſimum eſt, in quibus nihil poteſt eſſe immanius, nihil peruerſius. Nullæ enim ſub auaro principe ſeruantur leges, nulla iura, nullá iudicia. Erũt ſcelera omnia impunita, ſi redimuntur auro, punientur inſontes, elabentur noxij, ſed quis exitus tales principes maneat vide. *Galba.* Galba homo ſordidæ auaritię cũ ſemeſum inter cętera porcellum, aut dimidiatam aliquando lactucam in alteram cœnam ſeruari iuſſiſſet, veſceretur admodum leguminibus, ac indies diſpenſatori eandem impẽſam proferre, tantum populi contemptum odiumque contraxit, vt paucos mẽſes imperauerit, vita ſimul & imperio priuatus: *Perſeus.* Rex Macedoniæ Perſeus magnum theſaurum à Patre Philippo præparatum habebat contra potentiam Romanorum. Is autem eo bello quo ſuperatus capitur, cũ multa milia Baſtarnorum equitum peditumque conducta pretio in auxiliũ eius deſcendiſſent, quibus ſe tueri ab hoſti-

 168

hoſtibus potuiſſet, eos miſſos fecit, ne pecuniam conuentam ſolueret, tantæ erat auaritiæ. Idem quoq; cum militibus interdum vaſa aurea pro nummis dediſſet, ſimulans poſtea ſe pecuniam daturũ ſi vaſa reſtituiſſet, acceptis vaſis milites eluſit, vincitur deinde prælio, priuatur auro, regno, ac vita poſtremo. Quid hoc rege vilius, qui vt aurum teneret, regnum amiſit. Veri principes, ſpeculatores ſunt, & procuratores publici cõmodi eſſe debent, non autẽ priuati. Cõgerere pecunias, quæ ad commoditatem & vſum populorum ſunt conflatæ, nihil aliud eſt, quam cibum famelicis auefrre, quod hoſtes patriæ & humanũ genus peroſi facere conſueuerunt. Vnde in eos lata huiuſcemodi lex eſt: Auari in vrbe ne ſunto, ſi fuerint, publico edicto eijciantur. Nouit hanc eſſe labem ciuitatum omnium Lugurtha ille Barbarus Numidarum Rex. Diſcedens enim ab vrbe Roma quæ tum flagrabat auaritia,

Lex contra Auaros.

Lugurtha.

ritia, reflectens oculos: O vrbem venalem, inquit, & cito perituã, ſi emptorem inuenerit. In ea enim ciuitate, in qua regnat auaritia, nulla poteſt eſſe religio, nulla pietas, nulla gratia, nulla virtus, nulla charitas, q̃ omnino huic vitio cõtraria eſt. Nam auaritia auferendo, charitas dando creſcit. Hæc veſtit inopes, illa ſpoliat; hæc pauperẽ redimit ex vinculis, illa in carcerem trudit, hęc famelicũ paſcit, illa enecat fame, hæc gaudet benignitate, illa malignitate lętatur. Huic pietas cordi eſt, illi ſæuitia. Verum eſt certe quod Paulus ſcribit, Auaritiam eſſe idolorũ ſeruitutẽ, vnde auarus hæreticus merito dici poteſt. Quæro, inquit, Auguſtinus quis grauius peccet, an qui neſciens in hęreſim incurrat, an qui ſciẽs ab auaritia, hoc eſt idolatria, nõ receſſit? Hos immundiſſimis porcis comparat Chryſoſtomus, cum in quouis volutabro lucri gratia immergantur, & vere cõparat. Tota enim ſuis vita moleſta eſt,

Auaritia Charitati contraria.

Paulus.

Auguſtinus.

Chryſoſtomus.

eſt, cum grunniat ſemper, euertat, reſupinet, omnia explendæ edacitatis gratia. Contra vero mors eius omnibus iucunda, hinc fiunt tuceta, botilli, lucanicæ, pernæ, ſumina, glãdia, etſi quid ſupereſt donec edatur, pendet tanquam latro crucem meritus. Potuit ne quicquam ſimilius auaro deſcribi? quem omnes in morte corrodunt, lacerant, exedunt, ac merito quidem, cum illud Senecæ verũ ſit. Auarum nemini in vita bonum, in ſe vero peſſimum. Apud Xenophõtem Cyrus Pheraulam optantem diuitias, haud recte ſapere oſtẽdit. Mihi inquit neque cibum, neq; potum, neque ſomnum dulciorẽ in opulentia rerum ſenſi, quã olim in ægeſtate fui. Hoc autem ex diuitijs conſequutus ſum, vt pluribus in laboribus verſarer: Neceſſe eſt enim diuitem multos habere cuſtodes, multa alijs tribuere, cuſtodire plurima & cruciari non ſolum libidine augendi ea quæ habet, ſed etiam amittendi metu, ſatius

Auarus ſimilis porco.

Incommoda Auari diui

 tius

tius eſt igitur mediocritate vti, quã vel ex alieno rapere, vel raptum cum ignominia & cruciatu animi retinere. Si quem vero ex tuis hoc morbo laborare intellexeris, eũ vt inimicũ humani generis, vt hoſtem patriæ, vt Deo, hominibuſq; inuisũ, è ciuitate tua pelle. Et vt liberi⁹ abs te fieri poſſit, caue quicquam dicas aut facias ꝙ auaritiam & cupiditatem ſapiat, qua nihil poteſt eſſe in principe, vt antea dixi, deteſtabilius & pernicioſius: Cum eſſe debeat publicorum bonorum diſtributor quidam & adminiſtrator.

De Liberalitate & Magnificentia. CAP. XI.

REPVRGATO prius animo fœdiſſima auaritię labe, facilius erit liberalitatem, quàm iuſtitiæ coniunctam eſſe diximus, inducere. Hanc cæteris virtutibus gratioſiorem quadrifariam diuidit Plato. Fieri enim pecunijs, opera, diſciplinis, oratione pro circumuentis in iudicio oſten-

dit,

dit. Quintam ego, niſi temere id facere videar, addiderim, honoris ſcilicet diſtributionem, quod eſt magnum virtutis pręmium. Honos enim vt ait Cicero, artes alit. Nemo eſt autē ſanæ mentis præſertim, qui non bene mereri de principe & ciuib⁹ ſuis ſtudeat, cum intellexerit operam ſuā apud bene memores collocari. Quid enim ſibi voluere tot labores ducū, ac principum, tot pericula adita, tot vulnera militum in prælijs ſuſcepta? honores profecto & magiſtratus maxima & pulcherrima virtutis pmia. Omitto pecunias, agros, iumēta, arma ex hoſtibus capta, in quibus parū momēti ad virtutem eſt. Indignatuſque C. Cæſar, vt noſti, quod ſibi meritos honores negari quorundam maleuolentia & liuore cernebat, arma ſumpſit, æmulos & inimicos, è Rep. deiecit. Quotiens tumultuarunt exercitus iuſto honore defraudati? Quotiens defecêre à principibus clari, & bene merentes ciues vbi ho- *Cæſar.*

nores ſupprimi delatione quorundã viderũt? Ne igitur ingratitudinis arguâre, cuius acerrimi vltores Perſæ habebantur, dignitates, honores, magiſtratus ijs cõmitte, qui ſibi nobilitatem manu & ingenio pepercêre. Hac enim ratione & benemerentibus gratiam referes, & alios ęmulatione honoris gloriæq; ad virtutem excitabis. Hac in re vt in cæteris tenenda mediocritas eſt, ne quorundã ſtultitiam imitêre, qui infimæ ſortis homines maximis honoribus & pręmijs afficiunt, Abdolaminum Holitorem Sydonijs regem prẹfecit Alexander, à quo tamen reſpõſum illud plenum ingenij prodijt. Interrogatus enim quo animo paupertatẽ tuliſſet. Vtinam, inquit, eodem pati regnum poſſim. Nero autẽ Menecratẽ Citharædum curri triũphalis loco, opibus & patrimonio donauit. Quid Sporos, quid Ophonios, quid Criſpinos commemorem? quorum tanta erat licẽtia apud monſtra illa Imperij,

Perſæ ingratitudinis vltores.

Abdolaminus Holitor.

Nero. Menecrates.

Sporus. Ophonius. Criſpinus.

perij, vt dignitates pro libidine animi donarent: Vtinam ætas noſtra his monſtris careret. Circumſpice quæſo, & vide hinc dextra, hinc ſiniſtra, quot Noricos, quot Montanos in honoratorum ſedibus collocarint finitimi tui: Vellem familiam tuam his mōſtris obſtruxiſſe aditum. Ijs igitur dignitates & honores ſunt committendi, qui vt dixi ingenio, moribus, induſtria, ſolertia, manu, opera de te ac tua ciuitate bene meriti ſunt, non autē aſſentatoribus, lenonibus, ſcurris, quorum ingenia voluptatibus & libidinibus, non amplitudini & modeſtiæ ſunt dedita. Conſilio quoque & oratione benemereri de hominibus poſſumus. Nam qui in conſultatione cum publica, tum priuata, de rebus dubijs & incertis veram ſentētiam & conſilium affert: Beneficus merito & liberalis haberi debet, & eo magis quod hoc genus beneficentiæ non ad vnum tantū ſed ad plures extenditur. Oratio item in iudicijs ha-

Noricus. Montanus.

Liberalitas ex conſilio & oratione.

bita ꝑ reo, in hoc genere habebitur, reum voco accerſitum in iudicium more cauſidicorum. Qui ergo hominem iuſte defendit circumuentũ inimicorum calumnijs, is quidẽ merito benignitatis nomẽ adeptus eſt. Doctrina præterea & eruditione cõparare nobis liberalitatis immortale nomẽ poſſumus, cum ij habitus animis hominum imprimãtur. Quæ nã poteſt eſſe maior beneficẽtia, quam ea donare, quæ nunquam ab hominibus auferri, & cuius memoria nunquã obliterari poſſit? Transferri perfacile & amitti pecuniæ poſſunt, defloreſcunt honores & dignitates, excidunt conſilia, obſoleſcunt orationes: Sola vero ſcientia firma ſtabiliſque habetur, cum ſit earũ rerum (vt ait Ariſtoteles) quæ ſemper eodem modo ſeſe habent, cumque etiam ſit viaticum ad ſenectutẽ. Vnde ingratos merito vocamus, & maiore eos ignominia notamus, qui obliti tanti muneris, præceptores non modo nõ

Ariſtoteles.

Quod præceptores colere debemus.

habe-

habeant parentum loco, vt deceret, ſed quod peius eſt, contemnunt, & odio habent, Quod non fecit Plato in Socratem. Huius enim dialogi ſub nomine Socratis referũtur. Non Alcibiades qui Socratem nũquam deſeruit: Non Dion in Platonem, qui exilium æquo animo vna re tantum paſſus eſt, quod ei viuere cum præceptore ſuo licuit: Non Alexander in Ariſtotelem, cuius patriam ab hoſtibus deletam inſtaurauit, Non deniq; illuſtris pater tuus, & patrui in Victorinum Foltrẽſem, virum ſanctiſſimũ, quem non ſecus in vita obſeruarunt, quam filij parentes ſolent: Hoc eſt optimũ genus munificentiæ, eſt enim doctrina in proſperis ornamentum, in aduerſis vnicũ refugium. Sed veniamus tandem ad illud genus liberalitatis quod circa pecunias verſatur, pecunias autem dico quarum æſtimatio mẽſuratur numo: In hac re multum claruêre maiores tui, maxime vero Auus, qui ſibi nil reliqui fecit,

Qui Præceptores obſeruarũ

Arius Federicus Gonz.

cit,præter beneuolẽtiam hominum. Is enim vbi pecunias exhauſto ærario dare nõ licebat, integros fundos & agros donabat,aſſerens ſe nunquã libentius in vita quicquam feciſſe, & cuius minus pœniteret, quam quod munificẽtia & liberalitate vſus erat: Qua in re tantum ſibi nominis comparauit,vt omnis totius Italiæ nobilitas iſtuc tum ad eum,tum ad Victorinum alio genere liberalitatis vtentem proficiſceretur: Erat tum quidẽ vrbs Mantua referta ingenijs,referta ſtudijs,referta omni genere virtutis, propter principis & Doctoris liberalitatem & auctoritatem. Inde poſtea, vt de Gymnaſio Iſocratis dicitur,tanquam ex equo Troiano, multi & excellentes viri, tum armis tum literis exiuere cum maxima celebritate & gloria familiæ ac ciuitatis tuę. Hinc eſt quod quacunq; per Italiam iter facitis,omnes vos & admirẽtur, & tanquam Diuos omni genere munificentiæ & honoris adhibito ſuſcipiant:

Victorinus Feltrenſ.

Mantua.

ant: Quod profecto non facerent, & ciuitas veſtra & domus clauſa fuiſſet hoſpitibus, ac peregrinę virtuti. Hanc itaque gloriam fundatam in quouis genere virtutis à maioribus, amplectere & extolle. Illuſtrem fratrem tuum Franciſcum Gonzagam Cardinalem Mantuanum imitatus, qui vnus hac excellenti virtute plus nominis & gloriæ ſibi in vrbe Roma & quaquo proficiſcitur comparauit, quam omnes ſimul eiuſdem ordinis: Quid ſit retinere aurum, quid argẽtũ, quid gemmas, quid annulos, quid veſtes, quid chlamydes, quid equos, quid vaſa Corinthia, quid Damaſcena, quid Cryſtallina, quid aulæa, quid peripetaſmata, neſcit: Multos ex ſuis, tum familiares, tum ciues ad meliorem fortunam erexit, ditioreſque ſua liberalitate reddidit, facietq; cõplures tanti etiã animi, ſi ei, quod Dij faciant viuere licebit. Vt enim auari mors tanquam pernicioſi, ita liberalis & munifici vita, omnibus cõmoda

Fran. Gonz. Card.

&

& vtilis expetenda eſt. Vide quæſo q̃ cara ſit nobis fratris tui vita, nunquã enim caput dolet, quin tota domus ſollicitudine quadã afficiatur, quod profectò nõ fieret, ſi auarus & tenax eſſet. Quid enim pulchrius eſt, quid denique ſuauius, quam mentes hominum ita in beneficentia deuincire, vt & in vita carus omnibus ſis, & poſt mortem ab omnibus commendêre? Poteſt ne tibi, vel fratribus tuis, quicquam deeſſe, quibus non minus beneuolentiæ quam patrimonij, genitor & maiores veſtri reliquêre?

Alexander. Traijciens in Aſiã Alexander omnia quę poſt ſe reliquerat amicis condonauit, rogatus quid ſibi reliqui faceret, amicorum, inquit, beneuolentiã. Aſiam tum aſpiciens, & hæc quoque inquit noſtra erit, & vere quidem, omnia ꝓfectò liberalis principis ſunt.

Qui liberales fuerint. Quid enim defuit Pyrrho ob liberalitatem? Quid duobus Aphricanis? Quid Lucullo? Quid Põpeio? Quid C. Cęſari omniũ liberaliſſimo? Quid M. Pom-

Pomponio Attico? Quid Aug.
æſari? Quid Tito? Quid duobus
ntoninis Pio & Philoſopho? Quid
exandro Seuero? Quid Tacito?
uid Probo? Quid Conſtantino?
uid ſi ad cæteras quoque virtutes
ldita liberalitate orbis terrarũ im-
erium adepti ſunt: Vt quidam etiã
miſere adeptum ob auaritiã & ſor-
idam vitam, qua nihil turpius nihil
eteſtabilius, vt ante dixi, in princi-
e eſſe poteſt. Vtendum igitur libe-
alitate eſt, qua nihil habetur naturæ
ominum accõmodatius: Sed quẽ-
dmodum vtâre, diligenter inſpice-
e oportet, ne prodigus videaris. Nõ
enim in quemcunque & ob omnem
cauſam liberalitate vti debes: Sed er-
ga benemeritos & propter aliquam
inſignem virtutem quouis præmio
dignos: Quod maximum fundamẽ-
tum iuſtitiæ eſt, ea etiam liberalitate
vti debes quæ proſit amicis, nemini
noceat. Quare L. Syllæ, & C. Marij, *Qui liberales non fuerunt.*
Cinnæ M. Læpidi, M. Antonij, Tibe-
rij,

rij, C. Caligulæ, Claudij, Neronis, Domitiani, pecuniarum & rerum translatio à iuſtis dominis ad alienos non debet liberalis videri. Cauendū eſt etiam, ne maior ſit benignitas, q̃ facultas, neue res familiaris ita claudatur, vt eam liberalitas aperire non poſſit, quæ omni oſtentatione & vanitate carere debet. Quod profectò fiet, ſi cauſam, ſi tempus, ſi rationem, ſi dignitatem, tum noſtrã, tum perſonarum, in quos liberales eſſe debemus, conſiderabimus. Qui vero ſine iudicio vel modo in omnes quodam impetu animi incitati beneficentia vtuntur, temeritate quadam moti potius quam iudicio videri poſſunt, à quo omnino princeps cauêre debet: Cum nil turpius ſit, principi autem maxime, quam aliquid facere, cuius ratio reddi nõ poſſit. Nolo fundos largiare, vel ædes aſſentatoribus quibuſdam & lenonibus: In quo duo mala inſunt, & quod ijs carent benemerita, vel propinqui, vel affines, in quos

quos propenſior eſſe debes, & ꝙ tua prodigis & cum dedecore & ignominia, cum monſtra illa hominum tanquam aſini Phalerati ante ora omnium obuerſentur. Nolo ſporos in delicijs habeas, nolo puſiones. Quid poſtea multitudo illa ſentiat, ſatis noui. Conſulendum famæ eſt in rebus omnibus, non autem quærẽdum dedecus cum diſpẽdio etiam rei familiaris: Nã qui huiuſcemodi hominibus largitur, is profecto cũ magna iactura ſibi quærit infamiam, cũ poſtea Satyricum illud dicatur. Criminibus debent hortos, prætoria, menſas, argentum vetus & ſtantem extra pocula caprum: Hos ego tanq̃ pernitioſos ab aula tua reijciendos cenſeo. Quod ſi fieri nõ poteſt, adeo inoleuit hic mos, ſaltem vt viliſſima mancipia, cibo & potu contẽti ſint, non etiam ſericati & trabeati ambulent. Tenẽda igitur eſt in hac re, vt in cæteris virtutibus, mediocritas quædã, ne vel ꝓdigi videamur, ſi omnia

ſine ratione effuderimus, vel auari ſi ad viuum liberalitatis officium reſecabimus. Sed cum plura ſint liberalitatis genera, vt pote paruulos nutrire, pupillos tueri, virgines pauperes cōnubio locare, nobiles paupertate & valetudine oppreſſos viuare, viduas defendere, errantes docere, eſurientes paſcere, frigeſcentes veſtire, hoc potiſſimum non erit ab officio pij & boni principis alienum, ſcilicet aut captiuos gratis dimittere, ſi eos habes, aut aliquem ex tuis captum redimere, fœminas turpitudini ſubtrahere, parentibus liberos, parētes liberis reddere, patriæ ciues reſtituere, quod ſemper fecêre maiores tui, maxime vero pater, qui in direptione caſtellorum, quoad fieri potuit, & virgines à ſtupro tutatus eſt, & captos perſoluto militibus ſuis pretio aliquando dimiſit. Fabius ille Maximus qui cunctando Rom. rem reſtituit, captiuos ab Hannibale receptos redempturum ſe pollicitus

Fabius Maximus.

Senatu

enatu recuſante, vt id de ſuo face-
et, fundum vendidit. Buſa Canuſina
mulier decem milia Romanorũ reli-
uias Cannenſis cladis benigne ex-
epit & aluit. Hiero Syracuſanus
udita clade Traſimenica trecenta
nilia modiorum tritici, & ducenta
ordei, aureamque mitoriam pōdo
C C C X X. populo Ro. dono dedit.
Gillias Agrigentinus omnium qui
vnquam fuêre liberaliſſimus, ſpecta-
cula ędendo, epulas apparando, an-
nonam ſubminiſtrãdo, virgines do-
tando: Domum propriam adeo libe-
ralitatis officinæ aſcripſerat, vt quin-
gentos Equites Gellenſium vi tem-
peſtatis in prædia ſua compulſos, ꝓ-
pria impenſa aluerit & veſtiuerit:
Multos etiam captiuos ex vaſtitate
Illyrij & Traciæ redemptos eccleſiæ
impẽſa Ambroſius affirmat, tempo-
rum ſuorum Epiſcopos laudans. Hos
velim imitere mi Frederice, & maio-
res tuos, qui liberalitate, munificẽtia
& benignitate cum quouis optimo

Buſa Canuſina.

Hiero Syracuſanus.

De Magnificentia.

principe conferri poſſunt. Magnificentia vero quæ pars iuſtitiæ eſt, ita à liberalitate diſtinguitur, vt hęc circa magnos ſumpt⁹ & cõuenientes principi, illa circa dandas pecunias quales & quantumuis verſetur. Magnifici enim eſt theatra, fora, templa, porticus, ædes, pro dignitate ita extruere, ne plus minuſve impenſæ fiat, quã principem decet: Strauit enim duo fora, pater tuus: Strauit vicos vrbis, ædificauit ſplẽdide tum in vrbe, tum in agris. Arces munitiſſimas iactis inſanis molibus magnifice excitauit, atque id cum dignitate quidem, ne quorundam auaritia & anguſtia animi ab ei⁹ incepto deterreare: Quod plane ita laudabile eſt, vt hoc ad tutelam & ſpeciem vrbis, & ad ſalubritatem ciuitatis faciat.

De Fortitudine.

CAP. XII.

AT vero ne iuſtitia illa ex parte animi labefactetur, ſtatim fortitudo omniũ virtutum robur & vallũ

ſubiun-

ſubiungéda fuit. Vt enim fortitudo ſine iuſtitia iniquitatis materia eſt, cum validior imbecilliorem opprimat; ita iuſtitia ſine fortitudine terga nonnunquam vertit, atque eos deſerit, quos tueri deberet. Sed cum fortitudo, in res bellicas & domeſticas diuidatur, ſuperius illud in aliud tẽpus differamꝰ; Amplectamurq; nũc domeſticam fortitudinẽ, quæ animi magis quam corporis viribus cõmpræhẽditur. Vera enim fortitudo eſt primo ſeipſum vincere, iram continere, nullis illecebris capi, aduerſis non perturbari, nec extolli ſecundis, & quaſi vento huc & illuc impelli. Non debet vinci cupiditatibus fortitudo, non frangi metu, non iracũdia, quæ tollit conſilium: Præclarum eſt etiam ita animum informare, vt neque diuitias, neque voluptates, ita in maximis rebus conſtituat, vt in ijs omne ſtudium ſuum conferat, quo nihil poteſt eſſe turpius, & à claro viro magis alienũ, cum huius propriũ

Vera fortitudo.

ſitquẽ principem volumus, pro religione, pro patria, pro iuſtitia & honeſtate omne diſcrimen ſubire, ac pericula conſiderata præſertim contemnere. Hunc eſſe magni excelſiq; animi oportet, nihil in rebus humanis admirari, nihil magnifacere præter virtutẽ. Honores etiam nõ quoſcunq;, nec à quibuſuis oblatos ſuſcipiet, ſed illos tãtum quos eſſe dignos principe arbitrabitur, ſeruabit & dignitatem animi in vtraque fortuna, neque ab aſtu naturæ diſcedet, ſi vel fortuna ſæuierit, vel blandius arriſerit. Non adibit pericula, niſi magnis de rebus, ac primum bene & diligenter cõſideratis. Contuliſſe beneficia lætabitur, feretque moleſte ſi acceperit, nec plura ſtatim reddiderit: Cõmemorate beneficia quæ in alios contulerit, omnino debet eſſe alienũ à principe: Accipientis enim hoc proprium eſt nõ autem dantis, velua beneficia in Athenienſes reticent Lacedemonij, ita ab illis accepta cõmemo-

enienſes.

memorant peropportune. Superior in omni virtute mauult eſſe quam videri, nec id quidẽ inter humilis fortunæ homines, ſed inter principes exoptat: Palam loqui, amare, odiſſe, ſui ipſius proprium exiſtimat: Timẽtis enim eſt occultare ſententiã: Motus ipſius tard⁹ eſſe debet, & vox grauis: Sermo quoq; interuallis longioribus diſtinctus grauitatem quãdam principe dignam prę ſe fert, omnino autẽ vera animi magnitudo ſine magna virtute conſtare nõ poteſt, vt intelligas tibi enitendum & vigilandũ eſſe, vt in quouis genere virtutis excellas, ne ſub tanto rerum pondere imbecillis concidas: Vnum tamẽ vitãdum eſt, quod fere principibus omnibus nocet; ne cúm magnitudine animi præſtare omnibus quæris, æquitatem contemnas, quã ſublata, nec diſceptatione, nec vllo publico ac legitimo iure vinci patieris: Refelli enim in ſententijs dicendis prę-ſertim nõ eſt alienum à re tua, cum

in diſceptatione res propoſita exquiſitior fiat: Cauẽda eſt etiam nimia gloriæ cupiditas, quæ cæteris ad virtutẽ aditũ obſtruit, cum vident te ſolum hæc pulcherrima prȩmia reportaturum. Sed inter cætera hoc maxime à principe obſeruandũ eſt, ne in rebus agendis, tum domi, tum foris, vllam timiditatis ſpeciem præſeferat. Vt enim medici eſt & vultu & verbis bonam valetudinem ęgrotantibus polliceri, ita principem decet deſperationi hominum fiduciam & bonam ſpem obijcere: Bello Punico ſecũdo Cannenſi calamitate accepta, cogitantibus quibuſdam Metello Duce

Scipio. Italiam relinquere, Scipio adoleſcẽs cœtum ingreſſus nudo enſe, mortẽ tale aliquid deliberantibus comminatus eſt. Circùmſedente Hannibale Collinam portam, & ſupplementum in Hiſpaniã miſſum eſt, & ager vbi hoſtis ipſe conſederat, haſtæ ſubiectus emptorẽ inuenit: Voluit contra Hannibal fiduciam imitari, ſubiecit-

iecitque haſtæ argentarias vrbis tabernas, nec ſector inuētus eſt: Hanc ob rem ita cōcidit animo Hannibal, vt tum demum potiundæ vrbis ſpem antea conceptam depoſuerit. Redeunte præterea M. Varrone Cannenſis cladis auctore, gratię à ſenatu ſunt actę, quod tam inſigni calamitate accepta deſperare de Rep. non ſit viſus. Athenienſes cum Perſarum impetū nullo modo ſuſtinere poſſent, ſtatuerentque vrbe relicta, coniugibus & liberis Troezenę depoſitis, naues conſcendere, libertatemq; Græciæ claſſe defendere: Cyrſillum quēdam ſuadentem vt in vrbe maneret: Xerxemq; reciperent, lapidibus obruerunt: Securitatem ille ſequi videbatur omiſſa fiducia, quæ tamen nulla erat repugnāte fortitudine & honeſtate. Non eſt igitur trepidandum & de gradu conſtantię cadendū, quo nihil poteſt, eſſe principe indignius, qui ad vnam fortitudinem natus videtur: Non haberes hodie tam præ-

Hannibal.

M. Varro.

Cyrſillus.

 clarum

clarum locum in ciuitate tua, ſi maiores tui grauiſſimis bellis à finitimis circumquaque totiens vexati, cōcidiſſent animis, & non conſtanti ac forti animo, obuiā hoſti itum eſſet; ſed neſcio quo pacto à fortitudine domeſtica ad bellicam deſcēderim, quam vrbanâ quidam maiorem putauêre: Laudatur & Themiſtocles ac iure quidē Salamina victoria clarus: Laudatur & Solon, cuius conſilio & legibus victoria illa parta eſt: Laudatur & Pauſanias & Lyſander, qui armis regnum Lacedæmoniorum auxere: Laudatur & Lycurgus, qui legibus qua id ratione fieret edocuit, licet eadem de Romanis dicere: Non enim minus iuuit Rempublicam M. Scaurus conſilio, quam C. Marius armis: Non Q. Catulus, CN. Pompeio: Non P. Scipio Naſica Scipione Æmyliano: Non M. Cicero in coniuratione Catilinæ C. Antonio bellū foris gerente: omnino autē illud honeſtum quod nūc quærimus, ex animo

De victoriis & patria defenſ. laudati.

mo excelſo magnifico oritur, nõ corporis viribus. Exercendum tum corpus ipſum eſt (vt ait M. Tullius) & ita afficiendum, vt obedire conſilio rationique poſſit: Non autem delicijs vacandum, quod omnes fere principes Italiæ facere cõſueuerunt. Nihil eſt enim quod æque animos molliat, corporaque effœminet, atque eneruet quam delicijs affluere: De quibus ſuo loco dicetur. M. Tullius.

De Modeſtia.

Cap. XIII.

Verum eſt certe quod Stoici dicunt, omnium perturbationum fontem eſſe intemperãtiam, quæ eſt à tota mente & à recta ratione defectio; ſic auerſa à præſcriptione rationis, vt nullo modo appetitiones animi, vel regi, vel contineri queant: Huius contrariam virtutem μετριότητα græci vocant, quam nos cum temperãtiam tum moderationẽ, nonnunquam etiam & modeſtiam appellare ſolemus: Cuius proprium eſt motus

animi appetentis regere & ſedare, ſemperq; aduerſantem libidini moderatam in omni re ſeruare conſtantiam. Continue enim intemperãtia huic inimica omnem animi ſtatum inflammat & perturbat: Hinc ægritudines, & metus, & reliquæ perturbationes animi gignuntur, ad quas ſanandas vna modeſtia adiuncto decoro inuenta eſt. Duplex eſt enim (vt ait Cicero) vis animorum atque naturæ. Vna pars in appetitu poſita eſt, hæc ὁρμὴ grȩce dicitur, quȩ hominem huc & illuc rapit: Altera in ratione q̃ docet & explanat, quid faciendum fugiendumq; ſit, ita fit, vt ratio præſit, appetitus vero obtẽperet, in homine potiſſimum bene morato, cuius fundamentum Verecundia erit, quæ prudentiæ adiuncta, ac ſoli homini data, oſtẽdit, aliud iuueni conuenire, aliud ſeni, aliud in periculis, aliud in rebus ſecundis. Saltauit ante Archam Domini Dauid, non autem Samuel, & vt nec ille reprehẽſus, ita

Verecundia.

Dauid.

iſtȩ

iſte magis laudatus eſt. Themiſtocles princeps ille Gręciæ, quia fidibus ne ſciuit, indoctior habitus eſt: Abſtinuit credo vir ille clariſſimus ob verecundiã à Cithara; quod eã dignitati ſuæ nequaquã conuenire videretur. Mineruam abieciſſe tibias ſcribunt poetæ, quod dum eas ſupra fontem inflaret, indecorem genarum tumorem inſpexerit minimeque Deæ cõuenientem. Cõtra quorundam morem, qui neminẽ ſatis vrbanum putant, ſi fidibus, vel tibijs, aut fiſtula canere neſciat: Quid quod etiam ſatis verecunde quidem ſibilo ſe inuicem quaſi ſermonem peroſi, vocant, ijdem quoque comati & ad ſpeculũ pexi, tanquam mulieres per vrbem inçedunt. Tu autem ciues tuos à cultu muliebri iniecta verecundia coerce, & eos ad dignitatem virilem adhortare. Continentes quoque & abſtinentes tuo exemplo eos eſſe oportet, quorum alterum in rebus eſt, alterum in moribus. Scipio in Hiſpania *Samuel.* *Themiſtocles* *Mineruam* *Scipio*

nia eximiæ formæ puellam ſibi oblatam voluptatis cauſa conſtanter renuit, parentibuſque accitis aurum ꝓ redimenda puella doti addidit, eamque inuiolatam marito reſtituit. In Epiro, Achaia, Cycladibus M. Cato veneris & lucri copiam habens, conſtantiſſime abſtinuit, Numatio Ruffo teſte: Cum Fabricius Po. Ro. legatus audiuiſſet Cyneam Athenieñſem apud Pyrrhum omnia voluptati tribuentem, vtinam inquit, huius ſint opinionis omnes Po. Ro. hoſtes. Cato ille ſuperior vir illuſtris pellibus hædinis pro ſtragulis vſus eſt, triū ſeruorum comitatu contentus. Hiſpaniam rexit, eodem quoq; cibo eodemque vino, quo ſerui & nautę vtebantur, frugalitatis exemplum cæteris daturus. Cū Pericles haberet collegam in Prætura Sophoclem, ijque de communi officio conueniſſent, & caſu formoſus puer præteriret, dixiſſetq; Sophocles: O Pulchrum puerum Pericle: Tum Pericles, prætorē

M. Cato.

Fabricius.
Cyneas.
Pyrrhus.

ait

ait Sophocle decet, non ſolũ manus, ſed etiam oculos continentes habere: Magna fuit Xenocratis in victu continentia. Is enim cum miſſa ſibi ab Alexandro talenta intellexiſſet, legatos ad exiguum apparatum inuitauit, cúmq; ab ijs quæreretur, cui numerari talenta vellet: Nonne inquit heſterna cœna intellexiſtis me his non indigere? Natura enim, vt ait Philoſophus, paucis minimiſq; cõtenta eſt. Quid quod etiam hæc modeſtia in victu ad valetudinem & appetentiam facit? Cum Darius multis antea epulis, & poculis faſtiditus, aquam turbidam & cadaueribus inquinatã in fuga bibiſſet, negauit vnquam ſe bibiſſe iucundius, nũquam enim ſitiens biberat: Nec eſuriẽs vnquam Ptolemæus ederat, cui cum peragranti Ægyptum comitibus nõ ſecutis, ſordidus panis datus eſſet, nihil eſt viſum illo pane ſuauius. Expeṅda præterea fames motu & exercitatione eſt, non autẽ condimen-
tis,

tis, cum deſidioſé vixerimus, quod ferme omnes Italiæ principes nunc faciunt. Ferunt Socratem cum is vſque veſperam contentius ambularet, quæſitumque ab eo eſſet cur id faceret, reſpondiſſe, ſe quo melius cœnaret, obſonare ambulãdo famẽ. Quid victus Lacedæmoniorum in Philitijs? Vbi cum Tyrannus cœnauiſſet Dionyſius, negauit ſe iure illo quod cœnarat eſſe delectatum. Tum is qui illa coxerat, minime inquit mirum, condimenta ei defuerant, labor in venatu, curſus ab Eurota, fames, ſitis, his enim Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. Perſarum à Xenophonte victus exponitur, quos negat ad panem adhibere quicquam præter naſturtium, quanquam etiã quædam ſuauiora natura deſideret. Adde ſiccitatem quæ conſequitur hanc continẽtiam in victu. Adde integritatem valetudinis; Confer luctãtes, ſudantes, refectos epulis tanquam opimos boues. Eſt enim in deſiderio non

õ in ſatietate iucunditas victus Fe-
nt Timotheum clarum Athenis *Timotheu*
ominem & principem ciuitatis cũ
enauiſſet apud Platonem, eoque
uiuio admodum delectatus eſſet,
diſſetque eum poſtera die, dixiſſe:
eſtræ quidem cœnæ non ſolum in
æſentia, ſed etiam ſequenti die iu-
ndę ſunt. Quid quod ne mẽte qui-
m recte vti poſſumus multo cibo
potione repleti, extat Platonis p̃-
ra Epiſtola ad Dionis amicos, quã
plicuiſſe ſibi oſtendit, quod Itali
Syracuſani bis in die ſaturi fierent,
c vnquam pernoctarent ſoli. Quã
pe etiam ſit diffluere luxuria, Sar-
napali error nobis indicat, qui in- *Sardanap.*
i iuſſit in ſepulchrum, hoc habeo
od edi, quæque exaturata libido
uſit. Quid inquit Ariſtoteles in
uis, non in regis ſepulcro inſcide- *Epitaph.*
Quorſum hæc tam multa dices?
ntelligas tibi ac ciuib' tuis, ſi vul-
oneſte ac recte viuere, ſeruãdam
mediocritatem in victu, cultuq;
M corporis

corporis. Quid Xerxe illo libidinoſo turpius? qui refertus omnib⁹ præmijs, donisq; fortunę, non equitatu, pedeſtribus copijs, nõ nauium multitudine, non infinito auri pondere contentus, prꝛmium propoſuit ei, qui nouam inueniſſet voluptatem, qua tamen ipſe non fuit contentus: Neque enim vnquam finem inueniet libido. De Nerone vero, Domitiano, Caracalla, Heliogabalo, exẽplis libidinis & intemperantiæ, quid homines ſentiant, ſatis noſti. Sedandæ igitur ſunt omnes libidines, cupiditateſque: Sedandæ ægritudines, ſedandi affectus, perturbationeſque: Comprimenda eſt iracundia, vnde prope infinita mala oriũtur, cũ ratio omnis, ſubeũte illa inſania è mentibus noſtris deturbetur. Hac ratione

Epilogus. ſi vixerimus, prudentia in bonorum & malorum delectu vtemur: Iuſtitia in ſuo cuique tribuendo, fortitudine in laboribus periculiſque: Temperãtia in prętermittendis voluptatibus:

Quæ

Quæ quidem virtutes etſi ab omnibus obſeruandæ ſunt, tum vel maxime à principe id fieri debet, qui non vnius tãtùm, ſed totius ciuitatis perſonam ſubit, ad quam reliqui ciues ex ſententia Platonis ſeſe accommodare ſolent.

Finis Libri Secundi.

BAPTISTÆ SACCI, PLATINÆ.

De Principe viro.

LIBER III.

Quid Agendum foris.

CAP. I.

SESOSTRIS ille Magnus Ægypti rex occupata bello tota Aſia, ſubactiſque Scytis & Thracibus, in Ægyptum rediens vaſtam & paluſtrem, ad eius ornatum & vbertatẽ animum adiecit, arbitratus, id quod erat, tale negotiũ ad Regem pertinere. Erat enim antea tum equitibus, tum peditibus in via. Hanc itaq; incolis diuiſit ac nauigabilem fecit. Geometrice quidẽ, qua ex re ſumpta Geometriæ principia ferũt. Duci deinde cœptę ſunt foſſæ, duci aggeres, quibus & diſſiccarentur paludes, & agri iam culti ab intẽpeſtiuis inundationibus defenderentur: eædem quoque foſſæ nili excr-

excreſcentiam, cum omnia vbertim inundauit, excipiunt, agroſque à nimia vligine liberant. Eadem ſolertia vſa Semiramis Regina Aſſyriorum, poſt conditam admirabilibus operibus Babylona: Euphratem fluuium latiſſimum & profundũ põte iunxit: aggeres altiſſimos ad continendam alluuionem circumquaque ſtruxit. Flumẽ nauigationi aptum reddidit: Sepulchrum quoq; miræ magnitudinis ad ornatum prouinciæ ſibi extruxit, eique inſcripſit. Si cui Regum Babyloniæ poſt me indigentia pecuniæ erit, ſepulchrum aperiat, & quãtum pecuniæ voluerit, modo egens ſit, accipiat. Darius autem ſepulchrũ aperiens, nõ pecunias, ſed literas huiuſcemodi inuenit. Niſi pecunia inſatiabilis eſſes & ſordidi lucri auidus, defunctorum vrnas nequaquã aperuiſſes: Horum igitur & aliorum regum exemplo, nõ erit alienum ab officio tuo, ex vrbe interdũ, in agros proficiſci, ac videre ne aggerum ruina, & imminutione fiat inundatio

Semiramis.

Sepulchrum Semiramis.

Darius.

 fluuio-

fluuiorũ, cui malo tota fermé regio tua ſubijcitur, licet ſit feraciſſima. Crebrius enim quam vellemus exereſcit Eridanus fluuiorũ rex, vt ait poeta tuus, campoſque per omnes cum ſtabulis armenta trahit, ac ſæpe tanto damno accolas afficit, vt vna inundatione, totius anni fructus magno agreſtium labore ad maturitatem prope deductos, intercipiat. Deſiccādæ etiam paludes ſunt, ſi ad vbertatem & ſalubritatem aeris faciunt. Quod Herculem in Lernæa feciſſe tradunt. Nihil enim aliud eſt ſecauiſſe tot Hydræ renaſcentia capita, quam paludem Lernæam ſcaturientem, ferro, igne, cloacis deſiccaſſe. Pontium quoque, portuum & viarum habenda cura eſt, ne & tui & peregrini tranſeũtes aliquid incommodi accipiant, cum detrimento & ignominia ciuitatis tuę. Principes enim ad vtilitatem populorum creati, curare debent, ne quid eis ſua negligentia incommodi accidat. Hac

atione moti Romani illi veteres, magnis ſumptibus ad magnificentiā, & commoditatem tot vias ſilice ſtrauêre, tot pontes & Romæ, & in toto orbe terrarum ſtruxêre. Extāt adhuc veſtigia viæ Appiæ, Latinæ, Collinæ, Tiburtinæ, Flamineæ, Aureliæ, quas ego lacrymabūdus & gemēs exoſculari interdum ſoleo vetuſtatem admiratus. Ex ponte vero Ariminenti, Narnienſi, Miluio, Hadriano, cæteriſq;, quorum ruinæ adhuc viſuntur, non Romæ modo, ſed in tota Europa comprehendi poteſt, quanti animi fuerint, quantæque ſolertiæ. Adhuc enim cernuntur eorum erga humanum genus merita, tutius namq; & compēdioſius ambulamus. Quid memorem ductus aquarū, & Romæ & alibi magnificentiſſimis operibus extructos, tū latere, tum lapide quadrato? Quid ampliſſimas formas ſubter altiſſimos montes excauatas ad emittēdas lacus? Cernimus quotidie & cum admiratione quidē Ne-

morenſem, Aricinam, Albanam, ad quam frequenter accedit animi gratia Illuſtris frater tuus F. Gonziaga Cardinalis Mantuanus. Emiſſorium autẽ fucini lacus à Caio ante inchoatum Claudius princeps abſoluit, deductum per tria milia paſſuum, partim effoſſo monte, partim exciſo, & id quidem poſt annos XI. elaborantibus ibi continuo XXX. hominum milibus. Idem quoque oſtiẽſem portum in continenti, quod mirũ videri debet, extruxit, ducto dextra læuaq; brachio, ad coercẽdos ſequientes maris fluctus. Nero quoq;, licet malus, huius tamen gloriæ cupidus. Antij portum in alto iactis inſanis molibus extruxit ad commoditatem nauigãtium: Idem etiam perfodere Iſthmũ cogitauit, foſſamq; ducere ab Auerno Oſtiam vſque, qua nauibus nec tantum mari iretur. Quæ mõſtra illa pfecere C. Cæſar huiuſcemodi gloriæ cupidus deſtinauerat, vt ſiccare pontinas paludes, viã munire à mari

Nero.

Cæſar.

ſupero

pero per Appēnini dorſum ad Tiberim vſq;: Defraudare merita Aug. Cęſaris viſus Maro fuiſſet, niſi in tam excellenti genere gloriæ principem ipſum laudaſſet: Quid memorē portus inquit Lucrinoque addita clauſtra. Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor: Iulia qua ponto lōge ſonat vnda refuſo. Vnde etiā auctos Po. Ro. prouentus copia piſcium ferunt. Inſpexi ego hæc loca hac æſtate magna cum voluptate, & eo maxime quod tanti monumenti adhuc extāt veſtigia quædam. De Theatris vero porticibus, naumachijs, hippodromis, circis, quorum vſus iam pridem aboleuit, nō eſt cur loquar: Eos tu ſaltem in extruendis ædibus & tēplis pro facultate tua poteris imitari. Muniendæ ſunt etiam quam diligētiſſimè arces, munienda caſtella quę ad tutelam principatus tui pertinēt, non ſolum vt incurſiones hoſtium & repentinos impetus, ſed etiam vt exercitus ſuſtinere poſſint. Memen-

ubernoſum. to Gubernoſum ita olim ciuitati tuæ ſaluti fuiſſe, vt tam diu magnas hoſtium copias detinuerit, dũ oppugnatur, quoad ſuperuenientibus poſtea ſociorum copijs, ipſi hoſtes ingenti clade conciderint. Quod non eſſet factum, ſi id immunitũ hoſtes offendiſſent. Sed quid ego exempla maiorum commemoro in hac laude præſertim? cum patrem habeas quẽ hac in re potiſſimum imiteris. Ipſe enim vias ſtrauit, flumina ad commoditatem duxit, agros vberiores fecit, arces munitiſſimas ſtruxit. Hũc ſi imitabere, ditionem tuam natura & diligẽtia patris fertilem, munitiſſimam ac feraciſſimam reddes.

De Venatione.

CAP. II.

LACEDÆMONIORVM mos fuit ſumptus credo ex Lycurgi inſtitutis. Vt pueri Spartiatę vbi primum firmare veſtigia potuiſſent, in agros ad venationem mitterentur, exercitatione & cõtinuis laboribus ad militiam

tiã duriores futuri, & quo quis plures feras occidiſſet, eo maiorem laudem & honeſtiorem locum in philitijs merebatur: Reuerſi poſtea ad vrbem æſtu ac frigoribus validiores facti, militiæ ſacramento adigebantur. Mihi vero Romanorum cõſuetudo multo magis placet, qui adoleſcẽtes bonis artibus à pueritia primum imbutos, ſumpta virili toga ad grauiora ſtudia traducebant. Excolere enim ingenia prius neceſſe fuit, quę eò aptiora habentur ad ſuſcipiendos habitus ſapientiæ ciuiliumque inſtitutorũ quò teneriora ſunt. Adeo à teneris, vt ait Poeta Mantuanus, cõſueſcere multum eſt. Non enim parum refert, quod Ariſtoteli placet, vtrum quis hoc, vel illo modo viuere aſſueſcat. Præterea vires corporis parum valent, vt in brutis cernitur, niſi fuerint cõſilio & prudentia gubernatæ, quæ ex doctrina & cognitione rerũ naſci ſolẽt. Sit igitur princeps quem optimum volumus liberalibus diſciplinis

pliniſ ab adoleſcentia imbutus, Magni Alexandri exemplo, quem Philippus pater non prius à præceptore Ariſtotele abduxit, quã cum in quouis genere doctrinæ excellere intellexerit, vt deinde ſuo merito alijs imperaret. Tantũ enim differre doctos ab indoctis didicit à Doctore ſuo, quantum viuẽtes à mortuis, aut dormientes à vigilantibus. Maximo etiã ſplendori doctrina fuit C. Cæſari in tanto rerum faſtigio, qua prope plus gloriæ ſibi vindicauit, quam armis. Extant adhuc eius ſcripta in tanto pretio, vt plus diuinitatis quam humanitatis in homine fuiſſe appareat. Quid impulit Aphricanũ ad bene de repub. promerendũ? Quid Pompeiũ? Quid Duos Catones? Doctrina certe & lectio veterum ſcriptorũ: Interrogatus Themiſtocles cur noctu dormire non poſſet. Excitãt me inquit, Milciadis Trophea: Affirmat M. Tullius, Aphricanũ Xenophontis Pædiam nunquam de manibus ponere

Alexander. Philippus.

ponere poſitum, & quam cōtriuerat legendo totā ſuo imperio explicaſſe. Nihil eſt enim quod ęque moueat animos noſtros ad virtutem, ad fortitudinem, ad modeſtiam, ad verā gloriam, quam cum cernimus bene merētium nomina, doctorum hominū ſcriptis æternitati cōmendata. Quo quidem incitamēto literarum rudes & ignari omnino carent: Vbi ergo princeps noſter his ornat⁹ fuerit artibus & diſciplinis, quæ pueritiæ & adoleſcentiæ conueniunt, ad venationem tandem prodeat, belli quædam ſimulacra. Ea enim bellicæ arti omnino perſimilis eſt, cum ferre retia ad valli ſimilitudinē, ire pedibus, aſcendere equum & deſcendere, equitare, currere, ſaltare, iaculum torquere, arcum intendere, atroces feras ſuſtinere, æſtū & frigus perferre, famem & ſitim ſæpe experiri, loca aſpera & confragroſa adire propter prędæ cupiditatem neceſſe eſt. Eminus quoque cominuſue, vt in prælio fit,

fit, cum feris cõgrediuntur, ad periculaq; ſubeunda, his quibuſdã quaſi prælūdijs animos obdurant: Sed vt in militia, ita in venatione Dux omniũ ſit princeps. Alas diſponat, acies ordinet, cõgreſſuros venatores ad fortitudinẽ adhortetur. Laudẽ bene meritis & pręmia proponat. Fiat hęc uenatio montanis, campeſtribus & ſaltuoſis locis, non autem Medorum more, vel Inſubriũ, qui in hortis quibuſdam, & caueis tanquam ex arce cum feris imbellibus congrediuntur atque eas ſine vllo labore & induſtria conficiunt. Hoc enim modo tollitur & inueniendi voluptas, & perſequẽdi ſtudium, & feriendi concertatio: Idem faciẽtes quod ij, qui ſe pugnaces verbis oſtendunt, & omiſſo prælio captos aliorum labore domi obtruncant. Seruãdà quoque in hac re vt in cæteris mediocritas quædã eſt, ne dum fortitudinem & patientiam in laboribus quærimus, nimia venãdi aſſuetudine, nos ipſi in ferarũ mo-

Medorum.

em & ſæuitiam tranſeamus, quo nihil poteſt eſſe ab humanitate magis alienum. Ferũt Nimrot primum venatorem fuiſſe, qui aſſiduo brutorũ animalium ſanguine efferatus eo inſolentię deuenit, vt homines Deumque contemneret. Eſau quoque ita aſſidue venationem exercuit longe à patre, vt eius benedictione meruerit defraudari: In ſiluis tãtam famem contraxit, vt lenticulã concupiſcens prærogatiuam primogeniorum exiguo & vili pretio diſtraheret. Hoc errore hereditariæ ſeruitutis iugum tranſmiſit in poſteros, ditioni minoris qui domi degebat, colla ſupponens, horrebant eius manus, horridum erat corpus fruticantibus pilis. Neque enim lenis eſſe poterat, qui in ſyluis humanitatem depoſuerat, feritatemque ſumpſerat. Aucupium quoque nõ diſplicet, cuius auctorem fuiſſe Maccabæum quendã tradunt, modo iſtud etiã exercitij genus mediocriter amplectare, ne nimio venandi

Nimrot primus venato

Eſau.

nandi & aucupandi ſtudio officium boni principis prætermittas: Ad virtutem enim nõ ad voluptatem principatus inuentus eſt, cui comes annexaque eſſe debet ſolicitudo & cura, vt verus patriæ parens vocetur: Quod nomen Romanis Imperatoribus bene de Republica meritis, honoris cauſa Senatus Populuſque reſeruauit.

De Re Militari.

Cap. III.

FERVNT Timotheum muſicum, cum ſe in arte ſua Alexandro Regi aliquãdo vellet oſtẽdere, perite ad modum & muſice fuiſſe modulatũ, non mollem ſane nec tardum quendam modum, qui ad remiſſionem animorum ſegnitiemq; perducit, ſed ipſum Orthium qui Palladis carmen putatur. Alexandrum vero tanquam numine correptum ad arma proſiliuiſſe, adeo hominem numeri illi cõcitarunt: Cuius fortaſſe cauſa non tã in numeris fuit, quã in animo regio conci-

concitato & vehementi. Non enim Sardanapalũ Timotheus, non Martyas, non Olympus excitaſſet, non ſi carmen bellicum Pallas ipſa ceciniſſet, non ſi Chiron Centaurus ea vſus Cithara fuiſſet, qua & incitare Achillem ad prælium conſueuerat, & rurſus mutatis numeris pro arbitrio reuocare. Tantum valet conſuetudo bene vel male viuendi. Ferunt Herculem, vt eſt apud Zenophontem, cũ primum pubeſceret, quod tempus à natura ad deligendum, quam quiſq; viam ſit ingreſſurus, datũ eſt, exiſſe in ſolitudinem, atque ibi ſedẽtem diu ſecum multumq; dubitaſſe, cum duas cerneret vias, vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingredi melius eſſet; Virtutem vero amplexus ſpreta voluptate, orbi terrarũ imperauit, vt fabulæ tradunt, pelle leonis quem interfecerat, & claua in prælijs vſus ad domãda mõſtra, quæ humano generi officerent. Aurum & argentum vt heroem decet nihil fe- *Hercules.*

N cit

cit, niſi quantũ amicis erogaret: Fuere quibus & boues & armenta donaret, omnia ſua exiſtimans & beneuolentiam accipientium multifaciens: Non voluptati deditus aut auaritiæ, ſed virtuti & vtilitati hominum ſeruiens totum orbem terrarum peragrauit: Hinc eſt quod poſtea ſuo meritò in Deos translatus eſt. Huiuſcemodi principibus indigent ciuitates & prouinciæ, qui, ſi opus fuerit & laceſſiti à finitimis, ſtrenue ſumpturi ſint arma: Philoſophorum omnium ſentẽtijs, qui Politica ſcripſere. Partem enim ciuium bellicæ rei ſemper aſcribũt, qui agros ab incurſionibus hoſtium, & vrbanam multitudinem tueantur. Gratia tamen pacis de bello potius quam belli gratia de pace, vt ait Plato, cogitandum eſt, bella enim ſuſcipienda ſunt, vt ſine iniuria in pace viuatur. Parta autem victória conſeruandi ſunt ij, qui non de vita & ſanguine, ſed de principatu & gloria tecum contendêre: Omnino autem

Plato.

tem

tem iuſtas bellorum cauſas ſubeſſe oportet: iuſtæ autem putantur, ſi incurſionib⁹ vel rapinis ablatæ res fœciali iure repetuntur, nec reddantur. Si fines turbãtur, ſi caſtella quædam vel arces furtim aut proditione capiuntur, ſi mercatura ciuium tuorum intercipitur. Ad hoc reſpiciens Romulus ille vrbis Romæ conditor & parens, ne fundamenta Imperij quæ ipſe iecerat aliquando corruerent: Populum Romanũ admonuit Iulio Proculo internuncio, vt rem militarem colorẽt, aliter enim Romanam rem aliquando perituram: Sumpſit hanc curam Senatus vt ſalubrem & neceſſariam in cunabulis Pó. Ro. inter tot enſes, tot hoſtes, tanquam in circo conſtituti: hinc prodiere tot decreta, tot inſtituta militaria, hinc ſancta illa militia eſt orta, in qua non minus integre, caſte, ac ſancte vixere milites, quam qui domi ſub cenſoribus viuebant. Caſtra enim primo à caſtranda libidine & cupiditate ſunt

Romulus.

Iulius Proculus.

Caſtra vnde dicta.

dicta. Hæc ſuis legibus, ſuis inſtitutis vt ciuitates ipſæ continentur & conſtant, quæ qui præteriere, eo grauius puniuntur, quo & ſe & patriam, & parentes, & tot hominum milia grauiſſimo diſcrimini ſubijciunt. Huic præuaricationi iturus obuiã T. Manlius Torquatus filium qui iniuſſu ſuo cõtra hoſtes dimicauerat, victorem quamuis occidi iuſſit: Hac ſęueritate cæteris exemplum daturus, ne ab officio diſcederent. P. Poſthumius Tiburi Dictator, A. Poſthumium filiũ iniuſſu ſuo pugnãtem ſecuri percuſſit. Paulum abfuit quin Papyrius Dictator, Q. Fabium Rutilianum cædi iuſſerit, quod in Samnites iniuſſu ſuo pugnauerat & vicerat.

De Imperatore Exercitus.

CAP. IV.

SED quoniam, vt corpus humanũ ſine capite, ita exercitus ſine duce conſtare non poteſt, enitendum tibi eſt, vt & ſcientia rei militaris, qua libertas retinetur, dignitas propaga-

tur,

tur, imperium conſeruatur, & virtute, auctoritate & felicitate dignus eſſe videare, cui tot hominum cura & ſalus committatur: Scientiam is facile tenebit, ſi nõ omnino ſtipes fuerit, qui à teneris annis ſub optimo duce militauerit, vt de Alexandro legimus, qui admodum adoleſcens, Philippo id ægre ferẽte Cheroneſis pugnæ & victorię auctor fuit: Hannibal tanto cæteris ducibus præſtantior, quanto Po. Ro. cæteris clarior, quo cum XVII. annos bellũ geſſit, multis illatis cladibus, inuicemq; acceptis, nouem annorum erat, dũ in caſtris à patre Hamilcare iurare cogitur pꝑetuum aduerſus Romanos odium: Mortuo patre reliquum tyrocinij apud Haſdrubalem deponit, totiuſq; Africæ annorum XXV. Imperator creatus eſt. Scipio quoque adoleſcẽs in caſtris prope nutritus patrem ad Ticinum graui pręlio ſaucium è manibus hoſtium liberauit: Ac demum fatigata Rep. maximis & grauiſſimis

Scientia Imperatorem re militari.

Scipio.

cladibus extra ordinem XXIV. annorum Cōſul factus, ob peritiam rei militaris, ſuperato Hannibale Carthaginem tributariam fecit: Minor quoque Aphricanus ob ſciētiam rei militaris cōſulatum ante tēpus adeptus eſt: Scimus & Pompeiū adhuc equitem parta de hoſtibus victoria, ante conſulatum triumphaſſe, quem ei nōdum ob ætatem petere licebat. Sed quid ego vnum aut alterum Ducem cōmemoro, cum omnes ferme, tum Romani, tum externi, qui in aliquo pretio ſunt habiti, in caſtris prope nutriti ſint? Quid vero cauſæ fuit, cur noſtra ætate in ſcientia rei militaris tantum tribueretur. F. Sfortiæ, Nicolao Picennino, & patri tuo, niſi quod ij totam ferme vitam in caſtris, & militari ſollicitudine duxere? Cōſtantes enim fiunt homines, ad laborem in negotijs, ad fortitudinem in periculis, ad patientiam in aduerſis, ad tolerantiam in inopia rerum, ad induſtriam in agēdo, ad celeritatem

in conficiendo,ad conſilium in prouidendo: Quæ optimorum Ducum propria ſunt.Bellandi quoque virtutem exiſtimo in principe eſſe oportere,ſed huic miniſtrę comiteſq; ſint innocentia,temperantia,fides,ingenium,facilitas,humanitas,beneficētia,omniaque poſtremo quæ in magno Imperatore eſſe debent: Auctoritas vero rebus geſtis comparatur, qualem fuiſſe Q. Fabij Maximi M. Marcelli, quorum alterū vt optimū diſcipulum,alterum vt grauem præceptorē timuit Hannibal:Rurſumq; Hannibalis, quem exulem & ſenem reformidauit populus Ro. Duorum Scipionum,quorum alter Hannibalem vicit,& Aphricam Po.Ro.vectigalem fecit,alter vero Carthaginem deleuit.Numantiam ſuſtulit,&euertit C.Marij,qui Cymbros & Teutones grauiſſimis prælijs attriuit: CN. Pompei,qui non modo Magni Alexandri, ſed etiam Herculis, ac liberi patris adæquaſſe gloriam dicitur.

Quid de auctoritate C. Cæſaris loquar, qui ſignis collatis quinquagies dimicauit & vicit? Solus M. Marcellum trãſgreſſus qui vndequadragies dimicauerat, cui ego hunc cõparem neminem certe habeo, cum Alexandri, Bacchi, Herculis, Pompeij, Hannibalis, omniumque Imperatorum & Regum, qui vnquam fuere, ſine contentione res geſtas ſuperauerit, cum eos vicerit qui totum orbem terrarum domuerant, non facilibus prælijs, ſed cæſis (bella ciuilia ſemper excipio) vndecies centenis & nonaginta milibus hominum: Auctoritati poſtremo adiũcta felicitas eſt. Hinc Rhetorum campus (vt ait Cicero) de Marathone, Salamine, Platæis, *Decius.* Thermopylis, Leutris: Hinc Decij, CN. & P. Scipiones: Hinc Fabij, M. Marcellus, innumerabileſque alij: Hinc Triumphi decreti: trophea erecta: ſtatuæ militares in honoratiſſimis locis poſitæ, quorum omnium fragmenta per vrbem ſparſa adhuc

cum admiratione intuemur, dolemuſque illam ſanctiſſimam vetuſtatem defraudatam ſuis laudibus eſſe.

De Legendo Milite.

Cap. V.

Qvemadmodvm autem diximus corpus humanum ſine capite mancũ eſſe, ita aſſeramus oportet, caput ipſum ſine membris conſtare non poſſe: Non enim plus ſine milite Dux optimus faciet, quã quiuis bonus gubernator nauis ſine remige & nautis. Legendus igitur miles eſt ex ditione tua, ſi fieri poteſt, aut ſaltem ex prouincia: Etſi id fiet ante bellum, deligantur adoleſcẽtes, qui Tyrocinia facile imbibant. Ex agris, veterũ ſententia, vtiliores legẽtur, quam ex vrbe, cum ij delicati & vmbra emolliti vitam quibuſuis cõmodis ſuſtinere vix poſſint, niſi admodum adoleſcentes in militiam ꝓfecti fuerint, illi vero ſub Diuo & magnis in laboribus nutriti, ſolis patiẽtes ſint & frigoris, inediæ & vigiliæ:

Legendus miles ex ditione vel prouinci

Hymbrem & ventos obdurati labo-ribus negligant, delitiarum omnino ignari, paruo contenti: Ferre arma, ire pabulatum, ire lignatum, tẽtoria erigere, vallum & foſſam ducere, ſi o-pus fuerit ſciat & poſſit: Quod ſi vr-bani legentur & pedites futuri ſint, primo quidẽ diſcant currere, ſaltare, portare ſcutum, lanceam, verutum, caſſidem, & tabernaculum erigere, ſin equeſtri militiæ initiati fuerint, diſcant equos ſtrigilibus bene ter-gere, crura ac pedes mundare, eoſdẽ frenare, ſellas ponere ac deponere, arma in ſplendorem reddere: Equos potum agere, quo eundo, & redeun-do equitare & equum in gyrum ver-tere ſciãt, ſi iter ſit, galeam, lanceam, & humeralia portent, ſit, quem eligis vigilãtibus oculis, erecta ceruice, la-to pectere, humeris muſculoſis, quá-dratis, & valentibus brachijs, digitis longioribus, ſit ventre modicus, cru-ribus, ſuris & pedibus non carnoſis, ſed neruorum duritia collectis. Hæc

ſi in

ſi in tyrone deprehenderis, non ma-
gnopere proceritatē optabis : Hoc
fieri debere Virgilius cum de apibus *Virgilius.*
loquitur oſtēdit, hic melior inſignis
& ore & rutilis clarus ſquammis, ille
horridus alter deſibia latamq; tra-
hens inglorius aluum: Nec te moue-
at magnitudo corporum, cum Ro-
manorum militum breuitas, Gallo-
rum & Germanorum proceritatem
ſtrauerit, vt etiam in ſingulari certa-
mine de Torquato, Coruino, & M. *Torquatus.*
Coruinus.
Marcello legimus. Qui Gallos ingē- *M. Marcellus.*
tis magnitudinis animis freti, & mi-
litari diſciplina ſuperarūt ſpoliarūt-
que. Fortem animo Tydeum, licet
paruum corpore, ſcribit Homerus. *Homerus.*
Valet tamen & forma, valet genus,
valet mediocris ꝓceritas, modo ge-
neroſi ſint, & labores non ſubterfu-
giant. Ex omni tamen genere homi-
num non ſunt legendi milites: Nolo
piſcatores, nolo aucupes, & eos po-
tiſſimum qui viſco aues capiunt, no-
lo fartores, nolo cocos, tucetarios,

lenones, caupones, ſutores cuiuſuis generis: Nolo quempiam ex artibus ſeſſularijs, quę homines ita molles & vmbratiles reddũt, vt ſolem nedum labores & ęſtus pati vix poſſint: Non ſunt aſpernandi fabri ferrarij, non lignarij, non venatores, & ij maxime qui cum grandioribus feris congredi audent, non qui paſtoriciam exercent maiorum animaliũ, Opiliones, Subulcos, & Æpolos reijcio.

De Exercitatione Tyronum.

CAP. VI.

VBI vero pubertatem attigere, ſtatim ad leuem armaturã trãſferantur, & ſeſe leuibus prælijs interdum inſerant. Diſcant tamen prius ſi pedites ſunt, & iaculum torquere, & enſem rotare, & lanceam vibrare, ac in aduerſariũ dirigere: Curſui quoque aſſuefaciendi ſunt, vt cum opus fuerit, & præuenire hoſtem, & occupare loca, & ire exploratum quã expeditiſſime poſſint. Non erit etiam à re militari alienum, ſi ſaltare didicerint,

Peditum exercitatio.

rint,quo foſſas & maceries tranſilire in incurſionibus, & in acie poſſint, habent & ſagittarij & funditores ſua munera,habent & equites, quorum honeſtior & commodior militia eſt, cum quia ea vtuntur Reges & Principes,tum quod ad perſequendos in bello hoſtes promptiores ſunt: Omitto facultatem faciendi itineris, portandorum armorum,vitandique diſcriminis:Multa etiam longe equi ipſi hominibus viſu indicant; plura ſignificant auditu. Quid quod adeo ſeſſorem amãt,vt amiſſum in pugna lugeãt? Interfecto Rege Nicomede equus,eius prę dolore inedia vitam finiuit,ſeſe quoque in præceps dedit, cum Antiocho Cynthareti interfecti equus domini necem vlturus. Sequutus eſt Philiſtium in cœno equus relictus,adeo hominem amauit: Nõ igitur mirum ſi Alexãder Bucephalum mortuum exequijs honorauit, atque vrbem eius nomine condidit, C.quoq; Cæſar,& Diuus Aug.equos

Nota de equis.

ſuos adeo delegêre, vt mortuos etiã honore ſepulturæ pſecuti ſint. Hinc eſt quod Cenſores Romani nobilitatem & vtilitatem animalis conſiderãtes, mutare militiam coëgerint eos, qui & ſtrigoſiores & macilentos haberent equos, vtrumq; genus militiæ ſuas habet exercitationes: Diſcant omnes natare, non enim ſemper vado, vel ponte, flumina traijci poſſunt, & cedentes & inſequentes plerumque natare coguntur: Exerceſcunt perſæpe torrentes & flumina: Hanc ob rem Romani illi veteres Martium Campum exercendo militi elegêre apud Tiberim, vbi ob vicinitatem etiam natandi artem perdiſcerent, cum pedites, tum equites: Pedites pro ſcuto crate, pro leui graui enſe vtentes, palum ad id fixum, tum punctim, tũ cæſim ferire diſcebant; qui id punctim faciebãt magis laudabãtur. Vitalia enim melius defendũtur oſſibus & neruis ab ijs ictibus qui cæſim cadũt, quam ab ijs qui punctim

Tyrones natare diſcant.

punctim inferuntur: Præterea nudatur brachium latusue vbi cæſim ducimus, cõtra vero tegitur ſi punctim: Miſſilia quoque & ſagittæ in palum tanquam in hoſtem dirigi poſſunt exercitationis gratia: Melius noſtri poſſunt erudiri, cum & gladiatores habeamus & fuſtuarios, qui iuuẽtutem commode exerceant. Equitum quoq; exercitatio, hyeme ſub tecto, æſtate in Cãpo Martio fiebat: Equos habebant ligneos, hos adoleſcentes primo inermes, deinde leuius armati, ac poſtremo grauius conabantur aſcendere & deſcendere, dextra ac læua ſtrictos enſes vel lanceas tenentes, vt in tumultuarijs prælijs id poſtea facere ſine mora poſſent. In hoc autem noſtri ſuperiores ſunt, cum à teneris annis, non equos ligneos ſed veros & perferoces aſcendere & deſcẽdere loricati interdum perite admodum ſciãt. Quid quod ipſi etiam cataphracti ita ſeſe in equis habent, tum curſu, tũ ſaltu, tũ gyro, acſi nullo armo

Exercitatio Equitum Romanorum

armorum pondere premerentur: Ij collatis haſtis inter ſe ad diſciplinam concurrunt, idem quoque nudatis enſibus nunc punctim, nunc cæſim faciunt, vt poſtea in vera pugna & ictus inferre ſciant, & venientes propulſare: Hoc pugnæ ſimulacro vti & quidem frequenter Galeatium Vicecomitem Inſubriæ & Liguriæ ducem intelleximus, nec ab re quidem, vt poſtea cum opus fuerit, & ipſe & ſui omnes poſſint ac ſciant ferre arma: Nulla res enim magis & olim Italiæ opes & potentiam attriuit quã armorum deſuetudo. Hæc ſiquidem prouincia tum demũ à Barbaris capta ac direpta eſt, vbi ferre arma Itali deſiêre. Vide quantum ego à cæteris diſſentio: Excitãdum eſſet in Italia bellum, etiam ſi omnia pace conquieſcerent, modo abſit crudelitas, & noſtro non barbarorum more pugnetur: Hac enim ratione & principes & ciuitates quę rerum potiuntur in officio cõtinentur, & pecuniæ ad vſum

Galeatius Vicecomes.

Quid olim attriuerit Italiam.

vſum hominum inuentæ è theſauris eruuntur, & milite, quem ſi erit opus externis opponamus, Italia abũdat. Quo certe magno cum noſtro malo eam carituram breui tempore video, ſi ob auaritiam ſtipendio defraudati milites ab armis diſceſſerint. Tu vero quem omnibus in rebus præſtantem & excellentem eſſe decet, militem pro facultatibus legito, teq; atq; ipſum pariter exerceto. Pompeium *Pompeius.* imitatus, qui vt Saluſtius ait, cum ala- *Saluſtius.* cribus ſaltu, cum velocibus curſu, cũ equitibus ſe exercebat. Aliter enim par eſſe Sertorio nequiuiſſet. Negat *Sertorius.* Cyrus militem niſi ſudore præuio *Cyrus.* prandium aut cœnam ſumere debere, ne delicatos & molles in militiam recipias.

De Armatura Militum.

Cap. VII.

Cvrare autem princeps debet, vt milites ſui quam optime ſint armati, nec minus ad propulſandos hoſtium ictus, quam ad inferendos,

O ſine

ſine milite enim & bene armato vincere nõ poteſt, cum inermes de fuga magis quã de pugna cogitent, imo vero tantæ curæ erat ſalus militum veterib⁹ ducibus, vt & pœna & ignominia potius notaretur, qui ſcutum quam qui gladium in pugna abieciſſet. Admonebatur frequenter miles, vt primo ſui ipſius curam haberet, ne quid incommodi pugnando acciperet, deinde hoſtem quauis ratione poſſet feriret. Quod certe facere nõ poteſt, niſi bene armatus fuerit. Ab vrbe condita vſque ad tempus Diui Gratiani & Cataphractis & galeis muniebatur pedeſtris exercitus. Verum vbi hoc genus armaturæ grauius viſum eſt, & detectis pectoribus ac capitibus dimicarunt, oppreſſi facile à Gothis ſunt multitudine ſagittariorũ. Tãti roboris pedeſtris exercitus habebatur præſertim ex Romana diſciplina armatus, vt murus non ſine cauſa diceretur. Non enim facile bene armatus exercitus pelli loco

Diuus Gratianus.

Gothi.

loco poteſt: habebant ſua arma Roratij, & Velites, habebant Haſtati, habebant Principes, habebant Triarij, habebant Equites: Quam ob rem factũ eſt, vt dum hoc genere armorũ vterentur, orbi terrarũ imperitarẽt: contra vero vbi delicijs effœminati ferre armorum põdera nequiuêre, vna cum imperio libertatem amiſerũt. Quid ſibi vult quæſo Xenophõtis illa deſcriptio, quæ & Medos & Aſſyrios & Perſas, ante pugnam proprio armorum genere inſtruit? Tota enim eius hiſtoria ad inſtituendum principem, tum domi, tum foris pertinet. Quid, etiam ſibi aliquid vult illa ſimilitudo, qua oſtendit bouẽ cornu percutere, equũ pede, aprũ dente, canẽ ore mordere, declinareq; à natura veniẽtes ictus, quare homini data eſſe arma, quibus & ſe tueri & hoſtẽm ferire poſſit. Lege cautum apud maiores erat, vt gradu militari quo horis quinque XX. milia paſſuũ conficiebantur: Ferre pondus LX.

Arma, quibus vtebãt Romani.

Lex maior.

O 2 libra-

librarum tum armorum, tum valli, tum impedimentorum cogi ab imperatore miles poſſet. Quod etiam Maro tuus his verſibus oſtendit: Nõ ſecus ac patrijs acer Romanus in armis, iniuſto ſub faſce viam dum carpit, & hoſtem ante exſpectatum poſitis ſtat in agmine caſtris: Militem ergo quem fortem & cõſtantem vis, bene armato: Ferant thoraces & caſſides pedites ipſi, maxime vero haſtati, quo & tutius verſari inter hoſtẽ, & eorum equos ſuffodere longis haſtis, vel miſſilibus poſſint: Qui enſibus dimicant, ſcuto, caſſide, ocrea ſiniſtri pedis, tegmẽto dexteri brachij contenti ſint. Loricati quoque caſſide, duabus ocreis, brachiorumque integmento vtãtur, ij autem veruto, aut longis haſtis pro arbitrio dimicent. Tutius autem in acie verſabuntur ſagittarij cuiuſuis generis, ſi thorace vel lorica, & caſſide armati fuerint: Hos omnes enſe & pugione munito, vt etiam cominus, ſi opus

Maro.

fuerit,

fuerit, vel ſi haſtas fregerint, arcus baliſtasue amiſerint, dimicare & locum tenere poſſint. Equitum vero armatura talis eſto: Tyrones mediocribus in equis militãtes, ocreas, galeam, brachiorumque integmenta habeant, loricã præterea interciſam, & id thoracis quod pectus integit, vt & dirigere lanceam in hoſtẽ poſſint, & ictum aduerſarij conſtanter ſuſtinere, ſunt qui lorica, caſſide, & ocreis cõtenti ſint: Hos ego Gregarios voco: In incurſionibus ij quã in prælijs vtiliores & expeditiores ad agẽdam prædam ſunt. Cataphracti tertio loco habẽtur & honeſtiore, cum ferme omnes veterani ſint, ij totum corpus integant, quo tutius in acie verſari poſſint. Vtãtur & grãdioribus equis, quod grauiores ipſi ſint, & confligere prope ſtataria pugna interdum neceſſarium ſit. *Gregarij.*

De Itinere Militari. Cap. VIII.

CVm autem ducere armatum exercitum in hoſtem prouocãtem

ſitneceſſe,qua id ratione fiat,dicēdū eſt,cum plura ferme, vt aiunt periti rei militaris, ſubeamus pericula in itineribus quam in acie. Ibi enim attenti ſunt omnes, illic negligentes, & ob eam rem plerunque turbatis ordinibus magna capiuntur incommoda: Id ne accidat, oportet ducem eſſe ſolertem ad omnia præcauenda. Quodpercommode fiet, ſi regiones, ſi vias, ſi montes, ſi cōualles, ſi flumina nota habuerit. Duces prætera viarum idoneos & fidos ſecum habeat, atq; ita obligatos, vt nullo modo pœnam, ſi meriti fuerint, aufugiant. Præmittendi & exploratores, tū noctu, tum die, qui omnia circumſpiciant. Deprehendit enim Æmylius Paulus dum in Boïs caſtra haberet, ex volatu auium è proximis ſiluis inſidias ſubeſſe, deprehendit item Haſdrubal Hannibalis frater Romanorum equos ſtrigoſiores, & corpora militum Claudianorum coloratiora ex via eſſe, licet imminēs factū

Æmylius Paulus.

Haſdrubal.

vitare

vitare nequiuerit. In locis planis prę-cedant equites, ſubſequantur pedi-tes. In anguſtijs autem præcedāt ipſi pedites, ſubſequantur equites: Im-pedimenta vero calones, vehicula in medio collocentur, ita vt expedita pars equitum & peditum ſubſequa-tur: In medio quoq; locari ſigna de-bent cum robuſtiſſima acie. A lateri-bus vero, ſi opus fuerit, firmiſſimis a-ciebus impedimenta & ſigna clau-dantur, ne ex tranſuerſo venientes hoſtes exercitum turbēt, ſit antece-dens agmen ſubſequenſque ſemper ad dimicandūm paratum, ne repen-tino hoſtium impetu perturbentur militum animi. Illud quoq; animad-uertendum eſt, ne dum vna pars ce-lerius incedit, altera negligētius, in-terrumpantur ab hoſtibus acies, hoc ne accidat Tribunis & Centurioni-bus curandum erit. Si quę loca in iti-nere ſunt, quæ ab hoſtib⁹ infeſta no-bis obeſſe poſſint, celeriter occupē-tur, ne ſupra caput hoſtem armatū

Ordo gradus militaris.

De impedimentis.

De ſignis.

habeas: Cognoſcenda ſunt hoſtium conſilia noctu ne an interdiu libentius moueãt caſtra, equitatu ne plus an peditatu valeant. Locorum quoque interualla ad quę peruenturi ſumus pernoſcenda erunt, ne aut æſtate penuria aquæ laboretur, aut hyeme difficiles & inuiæ paludes torrẽteſue occurrant: Quibus ex rebus magna ſæpe incommoda exercitus capiunt. Si vado traijcienda rapidiora flumina ſunt: Duę acies maiorum equorum ſuperius & inferius collocentur. Inter vtramque tranſeãt pedites, calones, impedimẽta, ſuperiores equites vndam frangunt, inferiores raptos vt fluminis retinent. Fuere qui flumina foſſis deriuarent, aut pontes ſtruerẽt, ſed id longióre mora fit & magna impenſa.

traijcien. flumine.

Locus Caſtrorum.

CAP. IX.

DELIGATVR ſitus caſtrorum, ſi fieri poteſt, in loco herbido, nec lõge à ſiluis, aut à fluminibus, vt per-

commode & pabulatum & lignatũ, & aquatũ proficiſci milites poſſint: Sit locus ipſe ſalubris, ſit ita commodus, vt eo importari ſine magnis prę-ſidijs commeatus poſſint. Cauẽdum & à vicino monte, ne ſi ab hoſtibus occupatus fuerit, nobis obſit. Conſiderandum item, ne à flumine excreſcente inundari caſtra poſſint. Nam Q. Metellus immiſſo flumine ex loco ſuperiore in caſtra hoſtium victoriam adeptus eſt. Contra vero auerſis plerunque fluminibus cum ſiti laboraretur, & oppida hoſtiũ & caſtra ſunt capta. Seruilius enim Iſaurum oppidum ſiti ad deditionem cõpulit auerſo flumine quo hoſtes aquabantur, Alexander item auerſo Euphrate flumine, quod mediam illabitur Babylona vrbem capit: Eiſdem artibus vſam Semiramim aduerſum Babylonios dicitur, cum à ſe defeciſſét. Si locus erit non inutilis pro magnitudine exercitus caſtra ponantur, ne maiora minoraue ſint quã oportet.

Q. Metellus *Seruilius.* *Alexander* *Semiramis*

unitio castrorum. Si vicin⁹ erit hoſtis, ſtet magna pars exercitus in armis dum caſtra muniuntur vallo & foſſa, dum præſidia in portis diſponuntur. Caſtra tamē leuius, ſtatiua diligentius muniuntur: Et quia obire plura munera Dux ſimul non poteſt. Tribunis & Centurionibus negotia mandet, tum in caſtris partiendis muniendiſq;, tum in retinendis contra hoſtes pro vallo copijs. Ducis tabernaculum in medio & eminentiore loco caſtrorum metatores locent, vt & inde cōſpici totus exercitus, & eo tanquam ad caput ex totis caſtris breui concurri poſſit, aut ad conſultandum, aut ad accipienda edicta principis. *[Sig]na apud [D]ucem.* Apud Ducem ſigna ipſa militaria ſint: Circumſtetque cohors, quæ & ducem & ſigna conſeruet. *[Fo]rum in [ca]ſtris.* Sit & in caſtris forum rerum venalium, & id quidem liberum, vt eo importari omnia neceſſaria à mercatoribus poſſint; ne milites inopia coacti, paſſim, vt fit, dilabātur. *[M]edici in [ca]ſtris.* Adſint & Medici qui vul-

nera

nera & valetudinem militum curẽt: Hoc genus pietatis mirifice Cyrum commendat, qui partem ſauciorum Gadatæ curandos tradidit, partim ipſe in tabernaculum ſuum recepit, adhibita omni ad ſanandos cura, hic adeo ſe militibus immiſcebat interdum, vt omnium nomina memoriter pronuntiaret: Quod magno vſui in prælijs interdum fuit, dum militẽ nominatim Dux ipſe rei militaris peritus adhortatur. Dignoſci hinc etiam poteſt, quantum pietas & gratia principibus proſit: Nam cadente ſemel in prælio Cyro conſternato equo, ſublato ſtatim clamore omnes pro regis ſalute accurrentes acriterque pugnantes, & inclinatam aciem reſtituêre, & ducẽ à manibus hoſtiũ vindicauerunt: Impoſſibile eſt enim non amari ab ijs, qui ſe amari ſciant: *Cyrus.*

Vigilias autem & cuſtodias, ita Dux ipſe diſponat & partiatur, vt omniũ ſecuritati & quieti æque conſulat. Non ſinat Gregarios, aut calones pabulatum *De Vigil.*

bulatum vel lignatum ire,ſine præſidio,præmiſſis etiam exploratoribus, ne ſui in inſidias præcipitent & ab hoſtibus intercipiantur, ſcire hoſtiũ conſilia,copias, & opes, maxime ad Ducem pertinet,quo bene gerendæ rei occaſionem captet, quæ in bello certe plurimum valet. Ex transfugis autem pretio, & pollicitationibus corruptis id maxime perquirat, adhibita diligentia ſolerti ne à ſuppoſititijs transfugis decipiatur.

Diſciplina Militaris.

Cap. X.

AT vero quoniam non ſatis eſt militẽ legiſſe & exercitum cõparaſſe,niſi diſciplina militari in officio contineatur, videndum eſt qua id ratione fiat: Remouendæ ſunt ab exercitu omnes voluptates, omnia inſtrumẽta libidinis,omniaque quæ ad effeminandos animos pertinent. Quod Scipionem Æmylianum feciſſe conſtat. Exercitum enim licentia priorum Ducum omnino corruptum

pio AE-lianus.

ptum ad veram frugem tandem perduxit, pulſis lixis; lenonibus & duobus milibus ſcortorũ. Metellus quoque bello Iugurthino exercitum indulgentia Sp. Albini corruptum reformauit, ſummouendo lixas. Edictũ præterea propoſuit vt ſeruis dimiſſis omnes ſua ferrent arma: Idem fecit Traianus, Probus, Aurelius, Alexander, corruptam militiam in integrũ reſtituere conati, ſed nihil æque quã in arrogantes, contumaces, negligẽtes, timidos, emãſores, deſertores, & transfugas animaduertêre Q. Fuluius Flaccus Cenſor, Fuluium fratrem Senatu mouit quia cohortem legionis, in qua Tribunus Mil. fuerat, iniuſſu conſulis domum dimiſit. Clearchi Lacedæmonis ſententia eſt, Tribunum, Centurionem & militẽ, plus debere Imperatorem vereri quã hoſtem ipſum, aliter vero breui labefactatum iri diſciplinam militarem. L. Calphurnius Piſo in Sicilia cõtra fugitiuos pugnans Titium prefectũ equitum

Metellus. *Sp. Albinus.* *Clearchus.* *L. Calphurnius.*

equitũ, qui fugitiuis quibuſdam arma dederat, abſciſſa toga detractaq; tunica, nudis pedibus ſtare à mane vſque ad veſperam apud prætorium ſuum iuſſit, hominẽ deinde adeptis turmis quibus pręfuerat, in alas funditorũ tranſcripſit: Milites qui Rhegium occupauerant, mortuo Bdelio Duce, eiuſque ſcriba M. Cæſio Imperatore electo, continuis quinquaginta diebus virgis cæſi ſunt, ac tandem ſecuri percuſſi. Edictum præterea eſt, ne quis eorum mortem lugeret: Tantæ ſeueritatis Romani illi veteres fuere, vt contumaciam militis aduerſus ducem vel præſidem capite plectendam cenſerent, quod & legibus cautum eſt: Si vitem inquiũt, tenuit miles dum caſtigatur, militiã mutat: Si ex induſtia fregit, vel manũ Centurioni intulit, capite punitur: Item qui agmen exceſſit, vel fuſtibus cæditur, vel mutare militiã cogitur: Præterea ſi quis vallum tranſcendit, aut per murũ caſtra ingreditur, capite

pite punitur, qui foſſam traiecit, militia reijcitur: Qui atrocem militum ſeditionem concitauit, capitalis eſt, vt turbator pacis & quietis: Si intra vociferationem aut leuem querelã ſeditio mota eſt, tunc gradu militiæ reijcitur. Idem etiam fit, cum multi milites in aliquod flagitium conſpirarunt. At ſi qui fuerint qui propoſitum eorũ protegere conati ſint, capite puniantur. Negligentia quoque & ſegnities in milite crimen erat. Nã P. Rutilius Conſul ad repetenda auſpicia Meſſanã tranſiturus, obſidioni Liparitanæ P. Aurelium Penniclam ſanguine ſibi coniunctum præfecit, eundemq; poſtea virgis cæſum munere inter pedites fungi coegit, ꝙ eius culpa agger incenſus, & caſtra penè capta ſunt. Idem quoq; bello fugitiuorum Q. Fabium generum ſuum, qui arcem Taurominitanam negligenter amiſerat, prouincia deiecit. Timiditate vero omnino carere milites ſuos voluere. Nã Q. Meſſius quin-

P. Rutilius.

Q. Meſſius.

106

us quinque cohortes apud Trebiam ſtatione deiectas in eundem locum redire iuſſit, edixitque vt is qui ad caſtra cõfugeret pro hoſte haberetur: Bello Tarentino captiuos à Pyrrho redditos, ita partitur Senatus, vt qui equo meruerant, pedites fierent, qui pedites funditores eſſent, & ne quis eorum in caſtris tabernacula haberet, neue locum extra caſtra aſſignatum vallo cingeret, ne tentorium ex pellibus haberet: Redire autẽ in priſtinum ſtatum militiæ poſſent, ſi prius bina ſpolia ex hoſte reportaſſent. Cannenſi quoque bello omnes qui Remp. deſeruerant Senatus relegauit. Marcelli vero precibus vix obtineri potuit, vt eorum opera in obſidione Syracuſarum vteretur, hac lege tamen ne militia donarentur, neue in Italiã, donec in ea hoſtis eſſet, redirent: Idem etiam Senatus, ſeptẽ milia captiuorum ab Hannibale nõ magno pretio redimere abnuit, ꝙ turpiter viuere, quã bene mori maluiſſent.

Senatus.

Marcellus.

luiſſent. Quid enim aliud mandabāt filijs ad bellum euntibus Spartaneæ mulieres, quam aut victores redirēt, aut in armis morerentur? Nam quid turpius viro eſſe poteſt quā fugere? ex cuius fuga interdum totus exercitus opprimitur? Dimicantes enim vt ait Zenophon, ſalui fiunt, fugientes vero cædūtur, & ignauiæ pœnas dāt: Sed quoniam à deſertoribus & emāſoribus maxima interdū damna exercitibus eueniunt; proponendæ edicto militares pœnę ſunt: hæ autem tales habētur, caſtigatio, pecuniaria mulcta, munerum interdictio, militiæ mutatio, gradus deiectio, ignominioſa miſſio. Mitti enim in metallū, aut ad opus metalli torqueri, aut ſuſpendi miles etiam delinquēs nullo modo debet, cum hæ ſeruorum & latronum ſint pœnę: Emanſoré eum appellant Iurecōſulti, qui diu vagatus ad caſtra tandem reuertitur. Deſertorem vero, qui per prolixum tēpus euagatus reducitur: Germani

Mulieres Spartanæ.

Pœnæ militares.

Militem no[n] debere ſuſpe[ndi]

Quis Eman[ſor].

Quis Deſer[tor].

Cæſaris edictum militem deſertorē faciebat, qui diu aufugiſſet, vt is inter emāſores haberetur. Sed ſi quis adeat, & ſeſe offerat, ſiue depræhenſus offeratur, pœnam deſertionis euitat: Nec intereſt cui ſe offerat, & à quo comprehendatur. Leuius itaque delictum emanſionis habebatur, vt erronis in ſeruis, deſertionis grauius, vt in fugitiuis. Examinantur autē cauſæ emāſionis, & cur, & vbi fuerit, & quid egerit quæritur. Valetudini & pietati in parentes, & affines datur venia: Et ſi fugientem gregarium perſecutus eſt. Tyroni tamen ignoranti adhuc militarem diſciplinam, facilius quā veterano ignoſcitur. Qui in pace deſeruit, eques gradu pellendus eſt, pedes militiam mutat. Qui in bello id admiſit capite puniendus. Grauius punitur qui deſertioni, vel furtū, vel plagium, vel aggreſſurā, vel abigeatū addiderit. Qui commeatus ſpatium exceſſit, emāſoris vel deſertoris loco habendus eſt: Dierum tamē quibus

tardius

tardius reuerſus eſt, temporis item nauigationis & itineris ratio habetur. Etſi ſe probet valetudine impeditum, vel à latronibus detētum, reſtituendus in integrum eſt. Is quoq; qui in exploratione emanet, hoſtib⁹ inſiſtentibus, cum id fiat cũ periculo totius exercitus, capite puniatur. Eadem pœna affici & ij debent, qui cũ exploratores ſint, ſecreta nunciant hoſtibus, proditores enim ſunt. Qui ſtationis munus reliquit, pluſquam emanſor eſt: Qui excubias deſeruit, capite punitur: Moderandæ tamen hæ pœnæ ſunt, ducis arbitrio, cum genus humanum propenſius ad clementiam, quam ad ſeueritatem eſſe debeat. Sed quoniã tempeſtate noſtra, magnus eſt trãsfugarum numerus, quouis ſupplicio eos arcendos cenſeo, cum auaritia moti huc illucque, tanquam ignaui fuci, & alieno gaudentes curſitent: Eo enim quis celebratior & fortior habetur, adeo corrupta eſt militaris diſciplina, quo

De transfugis noſtri temporis.

pluries transfugerit. Si quis igitur ad hoſtes confugiſſet, & redijſſet, more veterum torquebatur, & ad beſtias vel in furcam poſtea damnabatur, quamuis nil horum miles pati debeat. Verum ij, non vt milites, ſed nequiſſimi fugitiui tractandi ſunt. Captus etiam, tanta erat ſeueritas diſciplinæ militaris, cum redire poſſet, ſi non redijſſet, & pro transfuga habebatur. Mitius tamen agendum cenſuit Q. Fabius Maximus, qui omnib⁹ ex præſidijs Romanis ad hoſtes confugientibus manus abſcidit, quo reliquis, ne deficerēt, terrori & exemplo eſſent. Seuerior eſt habitus Aphricanus ſuperior, qui deuicta Carthagine, transfugas Romanos crucibus affixit: & Latinos ſecuri percuſſit: Aphricanus vero poſterior euerſa Carthagine transfugas exterarum gentium in ſpectacula feris obiecit. Eoſdem Paulus Æmylius victo Perſeo Rege Macedonum elephantis atterendos dedit. Ne igitur in militia

Q. Fabius Max.

Aphricanus ſuperior.

Aphricanus poſterior.

tia tua tale aliquid accidat, tibi & p̃fectis tuis curãdum erit, vt & milites ad edictum in caſtris ſe contineant, cuſtodias & vigilias ſeruent, explorationes fideliter agant, in prælium audacter prodeant, locum ne deſerant. Circumire interdum vigilias, & ſtationes militum inuiſere, frumentationibus commilitonum intereſſe, quærelas eorundem audire, caſtigare vel conſolari contumaces aut afflictos Ducis & Cẽturionum proprium eſt. Verum cum tot labores, tot pericula, tot vulnera pro ſalute communi milites adeant, & accipiant, nullo modo ſuo ſtipendio, ſuis honoribus, ſuo præmio defraudandi erunt, ne ingrati videamur. Hanc ob rem ex cenſu ſtipendia primum ſunt inuenta, conceſſi triumphi, conceſſa trophæa, dati annuli, dati torques, datæ armillæ, dati equi frenis & phaleris aureis inſignes: Vnde ego equeſtrem ordinem habuiſſe originẽ puto: Donata bonorũ iugera, datæ imP 3 muni-

Coronæ ve-terum. munitates. Hinc multæ Coronæ ꝓdiêre, ſcilicet triumphalis, obſidionalis, ciuica, muralis, caſtrenſis, naualis, oualis: Quibus pro rebus ſeſe obijcere periculis milites ſolēt Nolem à Romanis congiarium datum

Congiarium. eſſe, & donatiuum, quo delinimento militia Romana corrupta eſt, cum eo milites ad ſe ambitioſiſſimus quiſque facile alliceret, quo plura largiretur, occupandi imperij cauſa. Sed boni milites, veterani vero maximê in pretio ſunt habendi: Ij enim inter cœtera etiam in delictis prærogatiuā apud veteres habebant, ne dum in meritis: Dari enim ad beſtias, aut fuſtibus cædi nequaquam poterant: Honeſto ſacramento militiæ ſolutis data immunitas, etiam in illis ciuitatibus, apud quas incolæ ſunt, valet. Veteranis enim vt ait Martianus, & liberis veteranorū idem honor habetur, qui & Decurionibus: Hos ego equites præſertim pluris facere ſoleo, quam quoduis genus hominum,

cum

cum in his ſolis aliquid priſtinæ virtutis, ex hac hominũ fece reluceat.

Stratagemata.

Cap. XI.

Valent & in bello ſubita conſilia, quæ græci Stratagemata vocãt, nec in prælijs modo terreſtribus, ſed etiam in pugna nauali, in expugnandis oppidis, defendendisue, in retinẽdis in fide prouincijs, in explorandis cõſilijs hoſtium, in traducendis copijs, denique rebus omnibus, quæ ad militiam pertinent. Imperauit M. Cato omnibus ciuitatibus Hiſpaniç, quas fiducia murorum videbat rebellaturas, vt mœnia diruerent, miſſis ad omnes eodem die literis, ita tamen vt non idem imperatum omnibus intelligerent. C. Cęſar *C. Cæſar.* Alexandrinorum fidem ſuſpectam habẽs, cum recipere ſe ad ſuos tuto non poſſet, & fiduciam prę ſe ferens, publica eorum loca cum admiratione intuebatur: Metellus pius dum in *Metellus* Hiſpania bellum gereret, interroga- *pius.*

tus quid poſtera die factur⁹ eſſet. Tunicam, inquit; meam ſi loqui poſſet, conſcinderem: Traducere exercitũ per loca hoſtilia interdũ neceſſe eſt, vnde maiorum aſtu vtendum cẽſeo: Reliquit buccinatorem L. Sylla qui vigilias diuideret, atque ita deceptis hoſtibus ſuos bello ſotiali incolumes eduxit: ſimulans deditionẽ Haſdrubal, CL. Neronem transmiſſis paulatim copijs decepit: Ligures p diuerſa loca vacculas laqueis ad arbores ligarũt, quo frequentiore mugitu ſpeciem remanendi præberent, atq; ita Romanorum manus euaſêre. Eluſit quoque Fabium Hannibal alligatis virgultorum faſciculis cornibus boum, igneque iniecto: Fuluius nobilior Lucanos inſequentes datis direptioni impedimentis occidit. Cogit & neceſſitas rerum deficientiũ vſum ſupplere: Maſſilienſes, Rhodij, Carthaginenſes, Aquileienſes; deficientibus funibus ob inopiã Spartæ, crinibus mulierum in torquendis ſagittis

Sylla.

tis ſunt vſi: M. Antonius Mutina profugus cortices pro ſcutis, militibus ſuis tradidit: Serenda & inter hoſtes diſcordia eſt. Nam & Coriolanus patritiorum agros intactos reliquit, & Hannibal ab agris Fab. Maximi abſtinuit, quos idem Fabius publicari iuſſit, & Legati Romanorum ad Anthonium miſſi, crebris cum Hannibale colloquijs habitis, hominē Regi ſuſpectum reddidêre: Retinendi interdum milites etiam commento ſunt. Nam Dacorum Dux efflagitātibus militibus ſuis, pugnā aduerſum Romanos ciuili diſcordia laborātes, duos commiſit canes, quibus decertātibus ſuperuenit lupus, canes autē omiſſa cōcertatione lupum ſimul acriter petunt. Diſſoluere cōceptum metum ex augurio, vel prodigio neceſſe eſt; quod feciſſe Cæſarem conſtat, qui nauem conſcendens, lapſus; Teneo te, inquit. terra mater, qua interpretatione oſtendit ſe repetiturū eas terras à quibus proficiſcebatur. *C. Cæſar.*

Epaminandos inſtante aduerſus Lacedæmonios pugna, cũ ſedile in quo conſederat ſuccubuiſſet, idq; vulgo pro triſti ſignificatione acciperetur. Sedere, inquit, vetamur: Prędixit defectum Lunæ Sulpitius Gallus, ne oſtento milites perterrerentur. Idem fecit Agatocles in Africam traijciẽs,
Pericles, cum in caſtra Periclis fulmen decidiſſet, ob eamque rem milites turbarentur: Dux ipſe duobus ſimul lapidibus eliſis, excuſſoq; igne, ſimilem ait eſſe vim fulminis. Cauẽdæ & quã diligentiſſime quidem hoſtium inſidiæ, quibus & magni exercitus per ſæpe conteruntur: Superat Fuluium Hannibal & interficit cum VII. milibus Romanorum. Deleſſet idem
Hannibal. Hannibal ex inſidijs Minutij magiſtri equitum copias, niſi Fab. Dictator laborantibus ſubueniſſet. Numidarum transfugę Cannenſi pugna in poſtrema acie locati, arreptis cadẽtium ſcutis & gladijs Romanos à tergo adorti victoriam Hannibali pe-

perere:

perere: Ventidius ſimulata fuga Parthos & Labienũ repreſſit. Cum toto exercitu Curio perit inſidijs à Iuba circùmuentus: Valet & diſſimulatio in ipſa pugna, cũ aliquid ſiniſtri nobis acciderit. Quod Tullium Hoſtiliũ aduerſus Fidenates prælio decernentes, feciſſe cõſtat, cum Albanos Metio Suffetio duce tranſire ad hoſtem vidiſſet, id fieri magna voce iuſſu ſuo prędixit, vt hoſtem circumuenirent, atque ita parta victoria de ꝓditore Metio pœnas ſumpſit. Idem fecit & Sylla fugiente ad hoſtes præfecto equitum & vicit. Oppreſſêre hoſtes Macedonum equites trãsfugas, cum Lucullus oſtendiſſet ſignũ pugnæ à ſe propoſitum. Noſtra quoquo ætate Franciſcus Sfortia impulit Alphonſum Regem iniecta ſuſpitione proditionis, vt Troilum & Petrum Brunorium transfugas in inſulam deportaret: vt noſtri quauis ratione in bona ſpe retinendi ſunt, ita hoſtes omnino ad deſperationẽ ſunt traij-

Ventidius. *Curio.* *Metius Suffetius.* *Franc. Sfortia.*

traijciendi. Claudius Nero proiecto intra munimēta Hannibalis, fratris Haſdrubalis capite deſperationem & Duci & militibus iniecit. L. Sylla ad deſperationem inijciendā ijs qui Præneſte obſidebātur, capita Cæſorum Ducum præfixa lanceis oſtēdit.

Sylla.

Retinendi & in fide ſuſpecti honeſta aliqua ratione, quod feciſſe Alexandrum conſtat, qui in Aſiam traiecturus Thracum optimates, ne rebellarent, ſecum duxit. Reddi virginem ſponſo Indibili Scipio in Hiſpania mandauit, aucta dote redemptoria pecunia. Qua ex re magnam partem prouinciæ ad ſe traduxit: Imperator C. Aug. eo bello, quo victis hoſtibus cognomen Germanici meruit, cum in finibus quorundam caſtella poneret, pro fructibus agrorum, quos vallo comprehēdebat prętium ſolui iuſſit: fatigandi & hoſtes clamore, ac ſimulatione pugnæ. Quod Titum Quintium feciſſe cōſtat, qui poſitis proſtratione calonibus frequēti clamore,

Alexander.

Scipio.

Titus Quintius.

more, ita hoſtes noctu defatigauit, vt eos ſequenti die facillime fuderit: Proponere hæc conſilia, priuſquam in pugnã deſcẽderemus, ſatius mihi viſum eſt, vt eſſes ad præcauendum, ad agendumve omni ex parte inſtructus.

De Pugna.

Cap. XII.

Verum antequã pugnam ineas, conuoces ad te viros oportet, in re militari præſtantes, eoſque conſulas, quid maxime agendum cenſeãt: Explorandi & militum animi, quorũ fiducia vel metus, vultu, verbis, inceſſu, motuque cernitur: Videndum & quid tui & quid hoſtes poſſint, qui magis armati exercitatiue, equite plus an pedite valeas: Si equite, plana elige, & patẽtia loca, ſi pedite anguſta & montuoſa, vel foſſis arboribuſque impedita. Conſiderandum etiã, ſint ne hoſtes temerarij, an cauti, audaces, an timidi, callidi, an incõſulti, cum varijs modis pugnam inire opor-

oporteat. Sed ante omnia præcauẽdum tibi erit, ne timorem & deſperationem præ te feras, oſtẽdẽda ſpes eſt, & certa victoria ante oculos ponenda. Curanda præterea militum corpora ſunt cibo potuque, vt & audatiores fiãt, & diutius labores tolerent. Quod facere non poſſunt ieiuni, & inanes, vt ex pugna ad Trebiam apparuit. In pręliũ deſcendenti quacunq; arte fieri poteſt, capiendi ſunt hoſtes, inſidijs, dolo, fraudeque fallendi, furto ac rapinis exhauriendi, pernoſcenda ſunt hoſtium conſilia, tua vero occultanda. Cogitandũ tibi noctu eſt, quid ſit agendum die. Mutanda interdũ conſilia, ac ſubito quidem, cum aliter euenturum videas, quam cogitaras: Cohortãdi ſunt ad prælium milites: Ducum verba præſentiaque maxime militem incitat. Rapiẽda opportunitas eſt, cum mora & tarditas multis ducibus occaſionem bene gerẽdę rei abſtulerit: Qua vero in re hoſtem ſuperas, ea potiſſi-
mum

m inſtandum eſt. Quod Alexan- *Alexander.*
m & Cęſarem feciſſe conſtat: Nã *Cæſar.*
emper dimicare contrà Tyrones
ſtium parati fuêre, quod vetera-
rum ſuorum virtutem exploratã 2(h
ebant. Idem etiam faciebãt, ſi ĩn
is patẽtibus plus valuiſſent equi-
ı, ſi peditatu in anguſtijs: Cauen-
n eſt etiam ne milites antequam
num conſerant, vel curſu, vel ſal-
vel aliquo pondere defatigentur.
mum ſi id vſu arbitrabere, acies ꝑ
lo extendito locis ſuperioribus,
le tela in hoſtem facilius mittan-
Hac enim ratione & hoſtib⁹ me-
incuties, & tuos audaciores red-
, facieſque vt hoſtem ferre diſcãt,
rimo aſpectu, quod pleriſque ex-
itibus accidit, terreantur. Sed an-
uã aciem explices, tria inſpicias
rtet, vẽtum, ſolem, & puluerem:
adimit viſum: Ventus tela remo- *Ventus*
raut diſtorquet: Puluis dimicã- *Sol.*
n oculos & ora replet. Hæc in- *Puluis.*
amóda obijcienda ſunt hoſtibus,

quod

annibal. quod feciſſe Hannibalẽ cõſtat. Qui & ad Traſimenum ventum & nimbos,& ad Cannas ventum & puluerẽ Romanis dimicantibus obiecit, ac magnis cladibus ſuperauit. Viciſſe & Cymbros Marium conſtat vento in pugna ac puluere vexatos. Variæ ſunt componendarum acierum rationes. Sunt qui veteranos ſtatim in prima acie locent, vt fortitudine ſua primo congreſſu reliquos audaciores faciant. Verum ſatius eſt hos ad omnem caſum reſeruare, ne ſpem defatigati exercitus in tyronibus collocemus. Præmittendi igitur ſunt, leuis armaturæ milites, atque his concalefaciendi ſunt omnium animi, minore iactura, ſi ſuperati fuerint: Subſequantur deinde Cataphracti minus probati, animos ex dimicãtibus tyronibus, & ſubſequẽtibus veteranis ſumpturi: Tantum autem interſe diſtantes, vt neque interluceant raritate, neque denſe ſeſe inuicem impediãt. Si dimicatur loco patenti equitum alæ

iſtantia cierum. *in loco tenti.*

alæ integant pedites ab incurſu hoſtium,quo & tutius dimicare, & hoſtilium equorum latera ſuffodere liberius poſſint, quod patrem tuũ feciſſe aiunt,eo prælio quo Venetos ad villam bonam ſuperauit: Adſint & ſagittarij & funditores cuiuſque generis,qui eminus hoſtẽ feriant, ſummoueãtve, quo noſtri tutius progrediantur: At ſi in anguſto conſeritur manus,in medio ſtent equites,à lateribus pedites,& maxime vero haſtati,& qui iacula torquẽt, cum ij vel in paludibus etiam & foſſis niti in aduerſarios poſſint. Procurrere inter acies,videreque ne quid incommodi accipiatur,Ducis officium eſt,quem non niſi in magno diſcrimine opponere ſeſe hoſti oportet, cum in vno Ducis capite ſalus omnium verſetur. M.Furius Camillus inclinata iã ſuorum acie,ſignifero in Volſcos & Latinos tracto,ſuos de fuga cogitantes mouit: Idem fecit & Q. Capitolinus in Phaliſcos. Scipio apud Numantiã

Si in anguſto.

Officium Ducis in pugna.

ſuos in caſtra fugientes pro hoſte ſe habiturum dixit, niſi redirent in prælium, quo edicto eos ad fortitudiné compulit. Sylla cedentibus iam legionibus hoſte Archelao in primam acié procedens: magna voce inquit: Si quis a vobis milites quæſierit, vbi Imperatoré relinqueritis, dicite, pugnanté in Boetia. Hoc pudore moti, Syllã omnes ſecuti ſunt: Diuus quoque Iulius, pedes etiã ante acié interdum proſilijt, vt ſuos pudore in prælio retineret. Philippus, Macedonũ Rex, cum Schytis dimicaturus fidiſſimos equitũ à tergo poſuit, ne quépiã è prælio excedere paterentur: quod, ſi fortuna tibi arriſerit, fac ſcias vti victoria, nec imitêre Hannibalem, ſed Martiũ, equitem Rom. qui deſperatis in Hiſpania rebus, ob interitũ duorũ Scipionũ, & duos hoſtiũ exercitus deleuit, & bina eorum caſtra, ſine mora diripuit. Et quia clauſis ob deſperationem audacia interdũ creſcit illa Virgilij ſétentia: Yna ſalus victis,
nullam

nullam ſperare ſalutem, danda eſt nonnunquam hoſtibus fugiendi via, vt tutius ſeparati, vel capiantur, vel trucidentur, ex Senatus ſentētia, qui Camillo Conſule cenſuit tranſuehendos eſſe Gallos, dandamque hoſtibus viam, ne deſperatione ad virtutem conuerterentur. Idem quoq; fecit Martius Eques Rom. in Hiſpania: Idem Cæſar qui Germanos incluſos fortius pugnantes laxatos poſtea palantes cæcidit. Laxauit & ordines Hannibal ad Traſimenū: Hac quoque ratione vſum ferunt Antigonam contra Ætolos: Ageſilaum contra Thebanos: Æmylium Conſ. contra Hetruſcos: Themiſtoclē cōtra Perſas. Vnum vero maxime in re militari obſeruandum eſt, ne in prælio milites tui, etiam victores, cupiditate prædæ ordines relinquant, quæ res magnæ calamitati magnis exercitibus interdum fuit. Inſtādum perterritis hoſtibus memineris, ne morâ animos, & ſpatium ad redintegrā-

De cupiditate præda.

dam aciem ſumant: Quod ſi ex ęquo pugnatum fuerit, cum nullũ maius periculum in re militari ſit, quam receptui canere, vtpote qui prior acie excedit ſuis animum minuit, hoſtibus auget: Fingas oportet, te acies reuocare, vel quo hoſtes circumuenias, vel meliorem locum ad pugnãdum occupes. Hoc ſi ex ſententia nõ ceſſit, ſatius erit duas vel tres acies piculo obijcere, donec ſe reliqui in caſtra recipiant, quâm totum exercitũ amittere. parta autem victoria, nemo præmio honorevê defraudandus eſt, ne & ſeditio in exercitu oriatur, & milites ſegniores ad res agendas reddantur.

Inſtandum perterritis hoſtibus.

De Expugnandis oppidis, & obſeſſis in fide retinendis.

CAP. XIII.

ET ſi fugati hoſtes per oppida dilabebuntur, eo ſtatim admouẽdæ erunt copiæ, cum facile ſit perterritos etiam in quouis munitiſſimo loco ſuperare: Quintius enim Conſul

vno

vno impetu Antiũ expugnauit: Fecit & idem Cato in Hiſpania: nam multa oppida vno conatu occupauit. Neq; enim ob breuitatem temporis hoſti licuit, vel muros firmare, vel portas munire, vel foſſas oblimatas purgare, vel miſſilia parare, vel pluteos in muris diſponere, ſaxaue, bitumen, ſulphur, picem, quæ liquefacta effundi in accedentes ſolent. Tolerare etiam diutius obſidionem, ſi ita acciderit, non poterunt, maxime vero cum ea ratione quam diximus, frumento etiam, vino, carne, lardo, caſeo, leguminibus, ſale, aqua interdum, & lignis carere ſoleant. Quod ſi id præter ſententiam acciderit, eliciendi primo erunt pollicitationibus & præmijs ad proditionẽ hoſtes ipſi. Hac enim ratione & Papyrius Curſor Tarentum cœpit, corrupto Milone præfecto Epirotici p̃ſidij: Eandem quoque vrbem per ꝓditionem Hannibal occupat, refracta à venatoribus porta, qui hoſtem *Hannibal.*

Tarquinius. intromiſêre. Cœpit & Tarquinius Gabios immiſſo filio, qui odium in patrem ſimulabat. Reducendi & hoſtes, quouis modo fieri poteſt, ad inopiam ſunt: Nam Fab. Maximus vaſtatis Campanorum agris ceſſit, donec ſementem facerent, quam renatā ſtatim proſtrauit. Dionyſius quoque ſimulata cum Rheginis pace, ac impetrato ab ijs pro claſſe commeatu, tam diu eos in ea ſpe detinuit, donec fame ad deditionem compellerentur: Ijſdem artibus vſum ferunt Alphōſum, eo bello quo Senenſium cauſa vrgere Florentinos putabatur: Vrbem enim Senarum exhauſtam commeatibus, quos in caſtra regia aſſidue mittebāt ciues, velle capere, non Florētinos opprimere, viſus eſt.

Alexander. Oppugnaturus Leucadiam Alexander multitudinem ex caſtellis circūquaque captis, eo confugere patiebatur, quo factum eſt vt ciuitatē cōmeatus inopia preſſam caperet. Redire & ciues Mediolanenſes digredi

conan-

conantes in vrbem Franciſcus Sfortia compulit, quo citius eos caritate rerum ad deditionē impelleret. Valet etiam multum fiducia ipſa in bello: Nam Gracchus Luſitanis dicentibus ſe in annos X. cibaria habere, minabundus inquit, vndecimo die vos capiam, hac fiducia territi ſeſe Graccho tradidêre. Iuuat & interdū Simulatus metus: Scipio enim Hannibale in Aphricam reuerſo ſimulato metu hominem colligere milites qui in præſidijs erant, & in caſtra venire compulit. Quo facto & multas vrbes opera Maſiniſſæ cepit, & eum ad certamen eliciēs ſuperauit. Cornelius quoq; Ruffus Crotonem diu oppugnatam ob deſperationem relinquere viſus eſt, hanc ob rem deducto ab oppidanis præſidio, reuerſus, vrbem vi occupat; Miſiſſe autem nuntios magno emolumento obſeſſis interdum fuit. Nam miſſus Pontius Comius ad Camillum per Saxū Tarpeium tranſnato Tyberi redijt,

Franciſcus Sfortius.

Simulans metus.

ac paulo poſt eum cum exercitu aſ-
faturum nunciauit. L. Lucullus Ci-
zicienos à Mithridate obſeſſos ad-
monuit, ſe cum exercitu aduentare,
miſſo per Mare nuncio VII. milia
paſſuum ſuper vtres inuicem conue-
xos. Mittebat & literas per columbã
fameliam ad Decium Brutum Muti-
næ obſeſſum, Hircius Conſul. Auis
enim edẽdi auida eo aduolabat, col-
lo literas ferens. Facit etiam neceſſi-
tas, vt varijs modis commeatus ob-
ſeſſis immittantur. Obſidente nam-
que Caſſilinũ Hannibale, cum Ro-
mani dolijs farinam immitterẽt, atq;
eam catena hoſtis exciperet, immi-
ſere nuces, quibus ſociorum famem
ſuſtentarẽt. Diſſimulanda eſt etiam
interdum ab obſeſſis inopia: Roma-
ni enim à Gallis obſeſſi, panem ad fa-
ciẽdam copiæ fidem in caſtra hoſtiũ
conijciebãt. Idem fecêre Athenien-
ſes bello Peloponeſſiaco: Retinen-
tur plerunque in officio dubiæ fidei
ſocij liberalitate & beneficentia.
Mar-

Marcellus enim Nolanum militem ob beneficia, ab Hãnibale clade Cãnenſi accepta, impellere Nolam ad defectionem conantem, beneficentia in fide continuit. *Marcellus.*

De Inſtrumentis Bellicis.

Cap. XIV.

AD expugnandas autem vrbes etiam munitiſſimas, vſi maiores ſunt teſtudine, ariete, vinea, cuniculis, muſculis, turribus, contabulatis, ſcorpione, catapulta, baliſta, fundis, phalarica. Verum nullum bellicum inſtrumentũ eo meli⁹ eſt, quod paulo ante centeſimum annum certantibus inter ſe Genuenſibus, & Venetis, à Germano quodam inuẽtum eſt Bombardam à ſono vocis noſtri vocant, cuius ictus nullus vallus, nullus agger, nullus quantõuis latus & præaltus murus ſuſtinere poteſt. Auſim dicere Romanos viros pugnaciſſimos, ſi hoc tormenti genus habuiſſent, etiam cum Dijs ipſis fuiſſe certaturos: Audiſti nuper expugnatum eſſe à Thurco Chalcidem Euboeæ: *Inſtrument. bellica.* *Bombarda.* *Romani.*

Quam noſtra ætas Negropontem vocat, cũ magno totius Reip. Chriſtianę damno & dedecore: Hoc non tam virtute militum Barbarus ille ſæuiſſimus obtinuit, q̃ huiuſmodi inſtrumentorum violentiſſimis ictibus, quibus vno ferme menſe oppidum à Venetis ſumma impenſa iam annis XV. munitum ſolo æquauit ac cepit. Captis autẽ per vim caſtellis, parcendum erit omnibus, arma ponentibus, veniamq; petentibus: Maxime vero ætati imbelli, quod non facit fœdiſſima rabies Thurcorum, qui tanquam rabidæ tigres ex prælio nil aliud quam Chriſtianorum ſanguinem haurire cõtendunt. Is enim quemadmodum dixi honeſtę pugnę finis eſſe debet, vt parta victoria, in pace viuamus, eoſque quos in prælio vicerimus, conſeruemus, ne immanes habeamur. Qua in re Carthaginenſes, Scythæ, Thraces, Cymbri, Teutones maxime ſunt reprehenſi: Scriberę autẽ ad te de parãda claſſe,

naua-

naualique prælio, nequaqam pertinere viſum eſt, cum à maritimis locis abſis. Quo enim in bello tibi vſui eſſe poſſunt onerariæ naues? Quo biremes? triremes? quadriremes? quinqueremes? Quo naues Liburnicæ? quo Myoparones, & Celoces? Armare interdum neſcio quas Scaphas fluuiales neceſſe eſt, quas ligneis quibuſdam caſtellis preſſas, non facile eſt huc illucque impellere, adeo graues ſunt: Galeones, Padi accolæ has vocant; Integuntur interdum nauiculæ quædam ex toto, has ob eam rem Gattos vocari putauerim, quod qui in his ſunt & pontes ſuccidunt, & ignem hoſtium nauibus, vel piſtrinis clancúlum inijciunt: Traijcere flumina ratibus ob altitudinem & rapiditatem interdum neceſſe eſt. Ad hunc vſum, ſi erit opus, paratas habeas oportet, ne flumina ipſa, vel lacus nauium, vel portuum indigentia, & occaſionem bene gerendæ rei, quæ vt ſæpius dixerim, in bello

Galeones.

Gatti.

lo plurimum valet, & victoriam tuam remorentur: Quam omni ex parte fauſtam & felicem volumus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Spinola Card. Evêque de Luques, Lettre aux originaires Luquois qui demeurent a Geneve avec les considerations qu'ils ont fait a ce sujet. N.º 1

Jacc. Platina Baptista, Principis Σιατύπωσις, seu Tractatus utilissimus continens quae principi Viro qui perfectus esse velit, cum pacis tum belli tempore facienda sint quaeque fugienda. N.º 2

FINE